



EPITOME
RERUM GESTARUM
À
NEAPOLIONE MAGNO.



EPITOME
RERUM GESTARUM
À
NEAPOLIONE MAGNO,

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS.

AUCTORE J.-F.-C. B***, (Blainvillain)

COLLEGII P........ PRIMARIO.

Hinc populum latè regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ....






PARISIIS,

EX TYPIS LEBLANC.

1811.



AMPLISSIMO VIRO

CAROLO LAUMOND,

IMPERII COMITI ET CONSILIARIO,
INTER EMERITOS EQUITES DUCI,
ET REI METALLICÆ PRÆFECTO.



Non veritus est liber iste meus, vir amplissime, ne in conspectum tuum veniret, seque tibi dedicaret; nec enim parvitatem suam, tuam verò magnanimitatem attendit. Tu ignotum, tu egenum suscepisti; tu, ut in tempore præsentaretur tibi, præcepisti. Scilicet ille jussa facit, rogatque, ut quâ nascentem adjuvisti, eâdem velis benignitate complecti. Non est autem quod de se quicquam sperare possit, si exceperis argumentum quod promptum apud te favorem obtinuit, in eo quippè seculi Decus commendasti, et hæc fuit auctoris fortuna, ut ea memoraret quæ prior ipse cum Galliâ prædicabas. Hinc ego mihi valdè gratulor, vir amplissime,

quòd in te, licet immeritus, patronum invenerim, simulque æstimatorem litterarum, sine quibus nec memoria rerum asservari, nec mitescere juvenum animi possunt, atque ad virtutem imbui.

Devotissimus cultor,

J.-F.-C. B***,

Collegii P*** Primarius.

EPITOME
RERUM GESTARUM
À
NEAPOLIONE MAGNO.

PROŒMIUM.

Annales Gallicos à Clodoveo ad memoriam nostram, per ordinem temporum, brevi libello scribere statueram, ut juventus, ediscendo rudimenta linguæ latinæ, simul et gentis suæ mores et facta cognosceret. Quæ ergo in multis voluminibus dispersa reperiuntur, ea paucis paginis collegeram, imprimis enisus eam nempè virtutem eminere atque inclarescere quæ Imperium Francorum adeò confirmavit et auxit, ut



qui res hujus temporis legunt, populi Romani historiam legere atque iterùm admirari sibi videantur.

Deindè supervacaneum putavi antiqua repetere, eaque tractare quæ minùs voluptati forent alumnis festinantibus ad hæc nova quibus, per bellicam virtutem, civilis infamia deleta est. Quùm enim in urbe tumultuarentur omnia, bello atroci quod nobis inferebatur, effectum est, ut Gallia militare sceptrum denuò resumpserit; ipsumque renovati roboris impendium immane eam latè victricem potentioremque reddidit, nedùm ruinam ejus traheret: quippè, in tanto discrimine, gens omnis et semper et ad unum finem intenta, nihil aliud moliebatur nisi ut infensissimos hostes debellaret, omni adhibito virium et consiliorum impetu.

Itaque vetera prætermittens, aversisque oculis à conspectu malorum quæ

hæc nostra vidit ætas, stylum transfero ad illam diem in quâ, regalis instar aquilæ, dux BONAPARTE Alpium juga transcendit, rerum faciem immutaturus.



PRIMUM BELLUM ITALICUM,

ANNO 1796.

VERE ineunte quùm NEAPOLIO Italici exercitûs imperium assumeret, *Beaulieu* castra movit, nobis imminens; isque ut erat strenuus et acer, jam pervenerat ad *Monte-Notte*, ubi erant ultima nostra propugnacula, quorum defensione Galliæ simul et NEAPOLIONIS fatum pendebat. Sed tribunus militum (*) qui eam stationem tenebat, exacto à suis jurejurando se ad ultimum pro fide pugnaturos, insigni virtute, Germanorum impetum sustinuit; undè NEAPOLIO, acie mutatâ, dextrum cornu hostium circumegit, eosque profligavit ad *Monte-Notte;* atque ab-

(*) Nunc inclytus dux et senator *Rampon*, quem hic honoris causâ nomino.

hinc fortunam semper obedientem et famulam in consilio habuit. Post tres dies hostem devicit ad Millesimum; deindè flectens iter, Genuam petiit, ut Germanos ad hujus urbis defensionem adductos deciperet, et repentè ad sinistram vergens, superato Apennino, sese medium inter Austriacos intulit, eosque sejunxit à Pedemontanis, quos omninò ad Pollentiam debellavit. Hinc, multis arcibus captis, ad Taurini portas terrorem incussit, ibique iniit cum rege Sardo pacem quæ maximas victorias æquipararet, acceptis scilicet in ditionem suam potentissimis oppidis, protectisque exercitûs sui tergis. Tunc quantâ potuit celeritate, persecutus est ducem *Beaulieu*, qui jam fluvium Adduam trajecerat. Hìc facta est illa pontis Lodesiani oppugnatio, quâ nullum in hoc bello atrocius certamen nec gloriosius Francis extitit. Sic autem illud refertur ab ipso Francorum duce:

PUGNA AD LODESIAM, 1796.

« Ego cum ducibus meis in urbem
» Casal adveni, die vicesimâ secundâ
» mensis Aprilis ante diluculùm; et
» circa horam quartam et decimam,
» primum agmen nostrorum incurrit in
» hostem qui Lodesiam defendebat.
» Protinùs equites prœlio paratos esse
» præcepi, his additis quatuor tor-
» mentis levis armaturæ, quæ nuper ad-
» venerant. Exindè progressi sunt *Auge-*
» *reau* et *Massena* cum suis quisque
» legionibus, dùm intereà primum ag-
» men stationes Germanorum deturba-
» ret; itaque victores intravimus Lode-
» siam, depulsis hostibus, qui, relicto
» vico, pontem Adduæ impositum tran-
» sierant. Sed *Beaulieu*, adverso littore

» cum omnibus copiis, aciem ordina-
» verat, pontisque aditum vetabant
» triginta conspicuæ molis tormenta.
» Confestìm omnem apparatum bel-
» licum adversùs hostem in suggestu
» disposui, et per plures horas hinc et
» indè acriter fulminatum; sed ubi
» advenerunt copiæ, acies nostra, con-
» sertis ordinibus, processit, in fronte
» habens secundum agmen carabino-
» rum quod legionum primarii citato
» passu subsequebantur, voce Rempu-
» blicam salutantes. Sed ubi cœptum est
» pontem ingredi, hostis densissimam
» globorum grandinem tonantibus tor-
» mentis evomuit, fronsque exercitûs
» nostri titubanti similis hærere cœpit.
» Sensêre duces actum esse de victoriâ,
» si miles ampliùs in hoc dubio re-
» mansisset; ergo ipsi ante signa stre-
» nuè decurrentes, nutantem fortunam
» adduxêre secum, undè invicta pha-

» lanx opposita virorum robora prostravit, captisque omnibus tormentis,
» hostium ordines dispersit et undiquè
» terrorem ac mortem intulit. Itaque
» puncto temporis Germani fugati sunt,
» et continuò *Augereau* et *Rusca*, sui
» quisque agminis duces, transierunt
» pontem, atque omninò cessit nobis
» victoria. Tunc equites Adduam vado
» trajecêre ; sed quùm transitus perdifficilis foret, in eo diù permoratum est, proindè non potuit oppugnari hostis, cujus equites, ad protegendam suorum fugam, pedites
» nostros aggressi, ab iis fortiter excepti et repulsi sunt. Verùm et nox
» superveniens et nimius labor copiarum, quarum multæ in eâ die leucas
» decem peregerant, Gallos impedivêre
» ne fugientibus instarent. Cecidêre
» hostium circiter tria millia, et capta
» sunt viginti tormenta ».

Ibi posteà *Eugenius* NEAPOLIO, prorex Italiæ, ad æternandam hujus facti memoriam, insigne monumentum erigi jussit, idque solemni ritu auspicatum est die Maii decimâ tertiâ 1809.

Dùm *Beaulieu* cum omnibus copiis per Venetorum regiones aufugeret, NEAPOLIO Mutinam cepit, Mantuamque circumsedit. Hæc omnia brevi duorum mensium spatio acta. Paulò post, quùm NEAPOLIO hostem inter montium ardua adduxisset, septentrionalem Italiæ regionem subegit, atque invasit terras pontificis Romani. Indè Bononiâ, Ferrariâ et Urbino in ditionem suam redactis, se Romæ imminere fingens, Etruriam trajecit, et inopinatè occupavit Liburnum ubi præsidium reliquit. Ibidem pontifici Romano et Siciliarum regi inducias concessit.

In hoc statu rerum, Austria novum exercitum conflavit, eique præfecit

Wurmser, qui ad Mantuæ auxilium convolans, copias suas in duos exercitus divisit, à fronte et à tergo Francos intercepturus: quod ubi intellexit NEAPOLIO, consilium vertit ad audaciam. Itaque, relictâ Mantuâ cum omnibus tormentis et sarcinis, trans Mentium vires suas reportat, seque fert obviàm exercitui qui tergis suis imminebat, eoque devicto, progreditur contra *Wurmser*, de quo iterùm atque iterùm triumphat ad Castilionem, ubi Germanorum octo millia cæsa, et viginti duo tormenta capta sunt.

NEAPOLIO IN LONADO.

INTEREÀ *Wurmser* cedere nescius, die sequente novum prælium parabat. TùmNEÀPOLIO quanta esset animi virtus et prudentia monstravit. Quippè quùm audivisset ducem *Wurmser* dispersum exercitum collegisse ad viginti millia peditum, cum maximâ equitum copiâ, sese contulit Lonadum, ut ipse cognosceret quas indè vires subducere posset ad augendum exercitum. Vix autem oppidum intraverat, quùm præco supervenit ab hoste missus, qui denunciavit præsidio ut se dederet, quippè omni ex parte circumageretur. Reverà à nostris admonebamur hostes properè adventare, viamque ab ipsis esse interclusam. Erant scilicet quatuor millia

Germanorum, qui nuper à copiis nostris intercepti, iter sibi ad socios aperire conabantur. Quid contrà agendum cum mille duntaxat et ducentis militibus quibus præsidium constabat? NEAPOLIO viam inveniet. Ille impavidus præconem arcessi jubet, et, subducto ex ejus oculis velamine, de eo quæsivit an ille cujus mandata exsequeretur, foret ita temerarius ut summo Francorum duci manus injicere præsumeret? Quæ cùm ita sint, inquit, fas illi est accedere; sed sciat ille meme ducem ipsum hîc cum omnibus copiis adesse. Imò scitote vos, ni intra breve temporis punctum, arma mihi tradideritis, ultima esse passuros. Miratus præco responsum suis retulit, et sese omnes NEAPOLIONI permisêre.

Hinc NEAPOLIO hostem impigrè persecutus est usque ad montes Tirolensium. Dein ad obsessam Mantuam exercitum

conduxit ; sed citò reversus est ad *Wurmser* qui cum parte copiarum ad Bassanum pervenerat, ibique eum denuò vicit coegitque ut salutem suam intra mœnia Mantuæ quæreret ; cujus gloriosâ defensione factum est ut Austria tertium exercitum paraverit. Huic præerat *Alwinzi*, qui sub Novembris finem iter ingressus, post multas atrocesque pugnas tandem debellatus est ad Arculum.

PUGNA AD ARCULUM, 1796.

QUÙM NEAPOLIO audivisset *Alwinzi* Veronæ propinquare ut conjungeretur cum exercitu qui apud Tirolenses erat, protinùs castra movit cum copiis quibus præerant *Augereau* et *Massena*, et secundo flumine progressus est, hinc et indè circumiturus hostem. Quod ubi Germanus intellexit, valido præsidio munivit Arculum: hinc NEAPOLIO vicum et pontem oppugnare adorsus est, ne longior circuitus operam suam irritam faceret. Hæc autem statio formidanda videbatur; eò enim hostis copiarum robur injecerat altioresque fossas multis tormentis sese adversùm intuentibus instruxerat.

Sed accesserat periculum majus et

minimè expectatum, via enim tenenda erat inter limosas paludes quas ingressus miles, neque incedere, neque arma efferre poterat; vixque emersus in solidum citò detrudebatur in ulvam. Undè iter pergere aut pedem referre pariter verebatur. Proindè votis Lodesiam reposcebat, ubi exitium absque istis laboribus offerebatur. NEAPOLIO nequicquàm altâ voce Lodesiam memorabat, tympana nequicquàm sono præcipiti prælium jubebant: miles virtutis oblitus, desperatione torpebat: sed quùm solum, assiduâ calcatione, pedibus minùs lubricum fieret, hostis gradientes ferreâ grandine trucidabat, ordinesque integri gurgitibus hauriebantur. Jam quinque inter egregios duces vulnerati pugnâ excesserant. Lodesiam iterùm iterùmque memorabat NEAPOLIO, ultimusque inter ingruentes globos in tanto discrimine perstabat; sed ardor bellicus

qui illius pectus accendit, Imperatoris consilia non avocat. Itaque præcepit duci *Guyeux* ut secundùm Athesim descenderet cum duobus millibus armatorum, trajectoque flumine juberet signa canere, ut tubarum clangor sonitusque tympanorum speciem fingerent adventantis exercitûs qui hostium tergo ingrueret. Intereà non destitit oppugnare pontem cujus in aditu *Augereau*, dextrâ vexillum gerens, suos nequicquàm ad prœlia ciebat. Mox ipse succedit NEAPOLIO, qui, equo desiliens, signum arripit, primusque ante legionum principes ad pontem progreditur. Ad Imperatoris sui vocem miles incedit; jamque ad triginta passus pervenerat, quùm repentè ingruentibus globis acies inhibetur, eo ipso tempore quo hostes fugam capessebant. Tùm graviter cæduntur duces *Lannes* et *Vignoles*, simulque *Muiron*, NEAPOLIONIS adjutor, globo

occiditur : tunc, repetitis fulminibus, pons effractus ingenti fragore dilabitur, suâque ruinâ canales et fossas implet. Ibi NEAPOLIO, ruente solo, in fossam devolvitur, undè emersus et extraordinario periculo defunctus suos colligit et reducit in castra. Die autem sequente, prœlio ardentiùs instaurato, effectum est quidquid humanis viribus permittitur. Sed labores nostri incassùm cecidêre ; quùm verò die tertiâ *Augereau* et *Massena*, junctis copiis, impetum fecissent, victores demùm stetimus in hoc campo totius belli cruentissimo.

Hìc juvat factum referre quod feralem hujusce victoriæ triumphum exhilaret. Post captum Arculum, cùm NEAPOLIO castra sua perlustraret, militem, in excubiis, per summum nefas dormientem reperit. Silet Imperator, et tubo bellico è militis manu leniter

detracto, ipse excubias agit, dùm sibi alter succederet. Paulò post expergiscitur miles, visoque Imperatore in vicem suam excubante, de se actum credit. Amice, inquit NEAPOLIO, noli timere; viro facilè ignoscitur si post tantos labores invitus obdormiat; sed aliàs, horam aptiorem elige.

Alwinzi, post cladem nuper acceptam, incredibili celeritate vires refecit, ultimum belli discrimen aditurus; sed spem malè conceptam fortuna fefellit: quippè, ut alia omittam, bis ille debellatus est, priùs ad Ripulas, ubi sex millia Germanorum cæsa et vigintiquinque millia cum sexaginta tormentis capta sunt: dein *Alwinzi* victus est ad Tertonam, et pars ejus exercitûs, id est sex millia armatorum quibus præerat *Provèra*, coacti sunt arma tradere, postquàm inutiliter tentavissent Mantuam ingredi.

Hîc legere est orationem quam, occu-

patâ Mantuâ anno 1797, die Februarii decimâ quintâ, NEAPOLIO in vulgus scriptam edidit his verbis :

« Milites, captâ Mantuâ finem habet
» bellum quo vos æternam patriæ lau-
» dem meruistis. Victores in quatuor-
» decim pugnis et septuaginta prœliis, ex
» hoste retulimus decem millia capti-
» vorum cum tribus ferè millibus tor-
» mentis. Regio armis vestris subacta
» commeatus et stipendia vobis suppe-
» ditavit, quin etiam conspicuam pe-
» cuniæ vim ærario publico misistis.
» Lutetiæ Museum tercentum signis ac
» tabulis auxistis. Lombardi et Cisalpini
» acceptam à vobis libertatem habent.
» Sardiniæ et Siciliarum reges, Roma-
» nus Pontifex princepsque Parmæ à
» communi fœdere desciverunt atque
» ambierunt amicitiam vestram. Anglos
» Liburno et Corsicâ expulistis; solus
» remanet Germanorum imperator.

» Eia agite, ô fortes, pax nobis intra » illius imperium quærenda est ».

Tunc NEAPOLIO de Mantuæ sorte securus, pontificis romani provincias invasit: Faentiam, Anconam, Lauretam cepit; sed in viâ cum eodem pontifice pacem iniit; hinc, meridianis Italiæ partibus omninò subactis, universas copias ad Alpes contulit, novumque, mense Martio subsequente, bellum instauravit. Tùm dux et princeps Carolus Italiam advenit, res à se renovandas confisus. Quid verò sperandum erat ab exercitu tot cladibus exhausto, contra hostem continuis victoriis elatum? Itaque bellum nihil aliud fuit nisi perpetuus NEAPOLIONI triumphus et ingrata principi Carolo fuga.

Hinc Tilamentum trajecimus.

TILAMENTI TRANSITUS, 1797.

Hoc flumen eam provinciam interfluit quæ *Forum Julium* vocatur, originemque trahens à Carniolæ montibus, Adriatico sinu allabitur, non longè ab antiquâ Aquileiâ, quatuor leucis ab Utinâ. Exercitus noster illud trajecit inter Valvasonem et Gradiscam ausu apud peritos memorabili. Ubi duces *Guyeux* et *Bernadotte* mediâ die advenerunt ad littus, continuò jussi sunt alveum trajicere, prior à sinistrâ, posterior à dextrâ Germanorum qui, facto vallo, adversam fluminis ripam prohibebant. Sed, instructâ acie, nostri sic incesserunt. Præibant copiæ leviter armatæ; has subsequebantur duæ cohortes primariorum, quarum latera equitatu

protegebantur. Intereà duces *Dommartin* et *Lespinace* hinc et indè cum tormentis suis accessêre, undè acriter fulminatum est. Mox verò dux *Duphot* cum suis descendit in amnem, protinùsque adversam ripam prehendit. Idem efficit ad dextram princeps *Murat* cum primariis legionis *Bernadotte*, exercitusque omnis unà progreditur, peditibus catervatìm procedentibus, unoquoque intervallo subsequentibus turmis. Nequicquàm hostis cum suo equitatu in copias nostras invectus est, acies nostra semper ordinibus stetit, trajectoque flumine, deturbati sunt Germani, cùmque illi alam dextram nostrorum cum peditibus, et sinistram cum equitibus conarentur intercipere, eos dux *Dugua*, adjutorque generalis *Kellerman* cum equitibus subsidiariis, capto eorum præfecto, debellavêre. Deindè dux *Guyeux*, quanquàm sibi nox offi-

ceret, Gradiscam oppugnavit et cepit; fusisque prorsùs Germanis, princeps Carolus in eo fuit ut caperetur, nisi equo veloci ablatus fuisset. Venerunt in potestatem nostram sex tormenta bellica, agminis præfectus, complures inclyti centuriones et circitèr quingenti milites gregarii. Cæterùm nostrorum strenuitas, et solertia Imperatoris tantum Germanis terrorem incussêre ut, amicâ nocte, longiùs evaserint. His peractis, NEAPOLIO Germaniam ingressus, Vindobonam cursu contendit, captis Utinâ, Palmâ-Novâ et Tergeste. Tunc humanitate motus litteras de pace tractandâ principi Carolo misit, quibus ipse scribebat : « Strenuos bellatores etiam quùm bella » gererent, pacem exoptare; sex abhinc » annis bellum continuari; sat stragibus » datum esse in perniciem generis hu» mani : naturam utiquè reclamare. Eu» ropam omnem, adversùs Gallos anteà

» conjuratam arma deposuisse, Germa-
» niam solam adhuc sanguinem sitire.
» Sextum hoc bellum quod pararetur
» feralibus auguriis prænuntiari; sed
» quicumque foret illius exitus, post
» aliquot legiones hinc et indè truci-
» datas, ad ultimùm pacem esse facien-
» dam : nempè eam esse naturæ legem
» ut cuncta, vel odia pessima, finem
» sortiantur. Respublica nostra, subji-
» ciebat NEAPOLIO, Imperatori deside-
» rium monstravit finiendi belli quo
» populus uterque miserè conficitur.
» Paci semper obstitit aula Londinen-
» sis. Ergone nullus erit fœderis inter
» nos conciliandi modus? Nos scilicet
» alieni populi invidiæ et commodis
» inservientes, juvabit alterutrum im-
» maniter jugulare!

» Num potiùs, ô dux supreme, spe-
» rare licet te, cum sanguine et di-
» gnitate ad thronum accedas, sisque

» earum immunis cupiditatum quibus
» imperiorum rectores sæpiùs impelluntur, velle humani generis benefactorem et Germaniæ salvatorem haberi? Absit, ô dux supreme, ut arbitreris his verbis significari, te per bellicam virtutem patriæ tuæ consulere non posse. Verùm, etiamsi detur fortunam tibi secundam fore, nihilosecius Germaniam armis vastandam esse certum est. Nunc, ut de me loquar, si mihi liceret hominem unum morti eripere, hâc ego forem coronâ civicâ felicior quàm si victoriæ palmis onustus incederem ».

Contrà princeps Carolus rescripsit: « Pacem humano generi utiquè desiderandam; se verò apud exercitum non legati sed ducis personam gerere. Cæterùm qualiscunque foret præsentis belli aut sperandæ pacis conditio, se NEAPOLIONIS virtutem admirari ».

Hâc ergo epistolâ nihil profectum fuisse videbatur; sed paulò post, cùm exercitus noster Vindobonæ appropinquaret, tantus terror civitatem invasit, ut rursùs, oblatâ à NEAPOLIONE pace, legati in castra nostra venerint petentes inducias quæ in Leoben triginta leucis à Vindobonâ distante pactæ sunt. Deindè, die sextâ Octobris 1797, pacis instrumentum scriptum est in Campo-Formio, juxta Utinam urbem, ut jam dixi, sitam in regionibus Venetorum, non longè à Tergeste, ad septentrionem. Hinc bellum cessavit post occupatam Venetiam, quæ fœdere cessit in potestatem Austriæ. Sed posteà adjuncta est Imperio nostro anno 1805.

Tot gloriosos labores emensus NEAPOLIO ab omni Galliâ votis ardentibus exposcebatur. Cuncti salvatorem et decus patriæ contemplari gestiebant. Itaque triumphanti similis in urbem

reversus est. Huic uterque Senatus in Musei porticibus solemni convivio gratulabatur. Eum Academia gallica gaudebat inter suos annumerare qui vincere victoriasque suas scribere doctus, Palladis et Gloriæ lauros pariter merebatur. Quos inter plausus, insignis præcipuè fuit ingressus NEAPOLIONIS in Quinque-Virorum palatium, die decimâ Septembris 1797. Quis hujus pompæ splendorem populique acclamantis lætitiam describat! NEAPOLIO succedit aulæ tanto magnificentiæ apparatu exornatæ ut qui exciperetur excipientibus longè præstare videretur : ille subit arcum triumphalem iisdem conflatum vexillis quæ de hostibus ipse reportaverat. Surgit eo veniente obsequiosa dominantium majestas, et undiquè exoritur admirationis clamor : nunquàm à solemnitate primi fœderis tanta alacritas in urbe exstiterat. Hæc lætitiæ publicæ concessa.

Neapolio dehinc nec fastum nec inanem modestiam affectans, procul à populi conspectu, inter sapientes et sæpiùs inter suos, privatìm dies agebat.



BELLUM EGYPTIACUM, 1798.

INTEREA fremit livor : ecquis erit eum fallendi modus? Undè quiescet dominantium metus quos importunus angit tàm benè partæ celebritatis favor? Procul absit ista sollicitudo. Ingens armatur in Tolonio classis cujus apparatum ex urbe ipsâ urget et dirigit NEAPOLIO. Opus suscipiendum poscebat animum fortem et promptum, summam prætereà ingenii vim facultatesque egregias, isque solus poterat incœptum perficere qui ejus auctor fuisset. Nempè agebatur de restituendo populis antiquo mediterranei maris commercio: et quamvis utiquè ignotus foret expeditionis finis, multi ad incœptum concurrebant; tantusque terror mentes invaserat, ut plerique ad NEAPOLIONEM tanquàm tutissimum portum confugerent.

CLASSIS È TOLONIO SOLVIT.

Die decimâ nonâ Maii 1798.

TANDEM classis in altum progreditur, populis undiquè stupentibus; ea enim præpotentis Galliæ majestatem adumbrans, ad unius leucæ spatium porrigebatur, eratque instructa quadringentis navibus, inter quas immanis *Oriens* quatuor et quadraginta millibus armatorum ad nutum suum intentis imperabat.

Die octavâ mensis Junii ventum est ante Melitæ conspectum, et ea ipsa propugnacula quæ superbi Solimanis potentiam fregerant, ad NEAPOLIONIS vocem cecidêre. Indè, mense nondùm exacto, classis appulit ad oram Alexandriæ cui

nomen est *Marabou*. Frustrà exæstuabat mare scopulis minacibus refertum; cymbâ vectus NEAPOLIO insiluit in littus ubi Alexander constiterat; dùmque agmina è navibus exirent, ipse, nocte jam obscurâ, cum quatuor millibus armatorum ad Alexandriam progreditur : cùmque ante illius mœnia pervenisset, conatus est civitatis principes alloqui ut sanguini parceretur ; sed, pace repulsâ, incolæ barbaros ululatus edidêre. Hinc, signo dato, urbs oppugnari cœpit. Dux *Kleber*, qui primus muris insederat, graviter vulneratur. Subindè *Menou* è propugnaculis dejicitur. Sed Franci, ardore suo impulsi, in urbem penetrant. Fit atrox pugna, et sternuntur ubiquè morientium acervi. Intereà NEAPOLIO incolas affatus, eorum furorem compescit, fingens se missum venisse ad auxiliandum Turcis, ut rebellantes Ægypti principes castigarentur. Tùm verò cessavit

strages, et, deditione factâ, NEAPOLIO victor Alexandriâ potitus est.

Die sequente exercitus in eam regionem proficiscitur ubi olim Memphis fuerat. Tunc anni fervidissimum tempus cœperat. Miles nudas sterilesque arenas ingreditur, et cùm omnia forent solis ardoribus exusta, Franci regionibus temperatis assueti, æstu et siti emoriebantur, puteis jam exsiccatis. Ad hæc, cibi etiam deficiebant. Tandem magno labore et patientiâ incredibili ventum est ad Nilum. Proh! quantis affectibus salutatum est illud flumen, quùm sese nostrorum oculis obtulit! Avidus miles sese multo liquore proluit: et fuêre qui prorsùs aquis immersi, grato frigore recreari et indè vitam aspirare sibi videbantur. Ibant interim cymbæ nostræ adversò littore: illæ consecutæ sunt Francorum exercitum ad *Ramanieh*; Dux enim supremus, cùm

audivisset Circassos (*) congregatos esse ad *Chebrerisse*, classiculæ suæ præceperat ut iter pergeret, dùm ipse cum suis copiis obviàm hosti procederet. Naves autem ignaræ fluminis et locorum inciderunt in classiculam hostium qui, altioribus ripis insidentes, impunè fulminabant naves nostras, quæ profectò captæ fuissent, nisi opportunè advenisset exercitus, ut eas ab imminente periculo liberaret. Confestìm Circassi, relictâ classiculâ, cum quatuor millibus equitum ad pugnam exière.

(*) Vulgò Mamlouks, id est *servi militares*, plerique Circassi, qui olìm Turcarum militiam componebant: illi posteà contra dominos rebellantes, occupaverunt et tenuerunt imperium Ægypti usque ad Selimum qui anno 1517, interfecto eorum principe, Ægypto potitus est. Sed ille, variis de causis, Circassorum militiam servavit et regionis administrationem demandavit eorum ducibus, qui abhinc provinciam illam precariâ auctoritate gubernant.

PUGNA AD CHEBRERISSE, 1798.

Nondùm Francis cum turmis adeò ferocibus pugnandum fuerat; prætereà, ob equorum paucitatem, solis peditibus sustinendus erat barbarorum furor. Neapolio milites huic certamini insuetos informat, et, facto cuneo instar Macedonicæ phalangis, tormenta ad angulos, et sarcinas in medio locavit. Nunc verò Circassi ingenti impetu feruntur in Francos quibus Neapolio jusserat ut Circassos ad sclopeti jactum sinerent accedere. Tunc, aperto agmine, retecta sunt tormenta quæ minutam ferri grandinem, cum horrendâ hostium strage, evomuerunt. Hinc, acie solutâ, barbari imperiti, sed fortes, singulatìm irruunt in ordines nostros et legionum

primarios ferociter lacessunt; sed ubique repulsi et trucidati, tandem deserunt campum cæsis sexcentis equitibus. Jam capta fuerat Chebrerisse dùm hostes, nimio ardore abrepti, animosè dimicarent. Hæc pugna, dato hostibus virtutis nostræ specimine, promptam nobis Ægypti possessionem prænuntiabat, quippè NEAPOLIO rationem invenerat quâ profligarentur Circassi. Posteà, ad instar pili romani tela suis dederat quæ ante ordines infixa et vinculo ferreo inter se connexa cohiberent irruentium equorum molem. His confisus occasionem captabat NEAPOLIO quâ favente viribus suis uteretur. Quæ sese citiùs obtulit.

PUGNA AD PYRAMIDES, 1798.

JAM conspiciuntur Pyramidum fastigia. Propè est Nilus, multâ riparum amœnitate inumbratus. Ultrà surgunt Alkairi turres, inter quas sycomori et palmæ dissimiles formas consociant. Fulgent hostium turmæ omni opulentiâ refertæ, et ipsi equi auro onusti fremitum suum classicis intermiscent. Stabant Circassi inter Nilum et agmina nostra quorum linea cùm à flumine surgeret, velut sinu quodam inflexa, rursùs altero cornu in inferiorem ripam excurrebat, ita ut hosti, nisi ruptis cuneis nostris, nulla spes fugæ remaneret. Franci ardent pugnam committere; sed NEAPOLIO eorum impetum inhibet: jamque Circassi in *Desaix* et *Regnier*

ferociter incurrunt; sed copiæ nostræ immobiles remanent, nec armis utuntur nisi quùm barbari citra sclopeti jactum pervenissent.

Ibi fit cædes horrenda. Nequicquàm hanc ferri aciem igneaque mœnia prorumpere conantur Circassi; undiquè lethali plumbo confossi occumbunt, fusisque turmis, inter ordines nostros dilapsi, per arenosas solitudines aufugiunt. Interim agmina quibus præerant *Bon* et *Menou*, nunc autem à *Dugua* conducta, feruntur in proximum vicum quadraginta tormentis protectum, ipsoque oppugnato, *Rampon* et *Marmont* viâ hostes intercludunt, et ibi mille et quingenti Circassi sive interficiuntur, sive in Nilum demerguntur. Quadraginta tormenta, quadringenti cameli, omnesque sarcinæ et commeatus hostium, hujus victoriæ præmia fuêre. È nostris quadraginta duntaxat saucii aut interfecti sunt.

Hæc pugna à Pyramidibus nomen accepit, ob propinquitatem earum molium.

Post victoriam, NEAPOLIO se contulit in Ghize quæ sita est ad ripam Nili occidentalem, contra insulam Rhahoudda. Ibi, accersitis Alkairi principibus, cum iis concilium habuit ut ea disponerentur quæ necessaria erant ad occupandum Alkairum quò, paulò post, cum copiis suis victor intravit.

Alkairus ad ripam Nili orientalem assidet, et distat quatuor leucis ab antiquâ Memphi. Lunæ nascentis figuram habens, et Lugdunum magnitudine exæquans, incolarum tercenta millia nutrit. Urbs emporium est mercatorum qui ab Indis cæterisque Orientis partibus conveniunt. Ea verò non est urbanitate et decore, civitatibus nostris conferenda; etenim veram decimi seculi imaginem exhibet. Intrà, viæ sunt tortuosæ, angustæ et sine pavimentis; extrà, circumfundun-

tur sepulchra et sordes quæ passìm oculos offendunt. Quod si ad populum attendas, ferocem militiam reperies, quæ bello et rapinis unicè intenta, undiquè miseriam, supplicia et necem infert. Nec ipsa somnum capit nisi inter acinaces et custodias, sæpiùsque laqueo, mucrone aut veneno ante diem occumbit. Ibi enim omnes trahunt vitam terroribus continuis obnoxiam, dùm Europæi, fatis melioribus nati, dulcem ibi patriam reminiscuntur, et tenero affectu commoti, pias lacrymas effundunt. Igitur ille mihi de genere humano benè meritus videretur, qui, cùm tot et tanta virtute effecerit, iterùm regionem istam ex eâ conditione eximet, ut veneranda antiquitas et artes è sepulchrorum pulvere tandem eruantur undè quondàm Europæ nostræ allata sunt.

Redeo ad Pyramides, quæ inter mundi miracula numerantur, ab ipso nomine

quod *rem mirandam* exprimit. Hoc alii volunt significari *mortui mansionem*. Quidquid sit de verbi interpretatione, certum est hæc ædificia destinata fuisse ad sepulturam mortuorum quibus conservandis Ægyptiorum superstitio magnoperè invigilabat, propter vulgatam apud eos metempsycosis opinionem. Aliundè possibile est ea superbiæ monumenta etiam ad religionis mysteria inserviisse. Cæterùm hæc solitudo Pyramidibus referta est, usque ad Saachara, ibique videtur fuisse sepulchrum commune antiquæ Memphis, quo perveniebatur, trajecto Nili alveolo, qui locum dederat mendaciis Græcorum de Styge et Charonte. Inter Pyramides quæ sitæ sunt ad Ghize, maxima et antiquissima dicitur *Cheops;* quippè, auctore Herodoto, ea constructa fuit à rege *Cheops*, qui vixit circiter mille et ducentis annis ante Christum. Cujus alti-

tudo est pedum 421 et latitudo 724.

Ad aspectum earum molium quæ tot extinctas generationes rerumque fluxus testantur, oppressa stupet homuncionis ratio : sed animus noster dolore summo afficitur, quùm cogitamus quantis laboribus gens universa insudaverit ut perituro cadaveri inutilis habitatio pararetur. Hinc, deploratâ populorum sorte, exsecramur dominantium stultitiam quæ hæc portenta conflavit, undè potiùs hominis infirmitas quàm magnitudo demonstratur.

PUGNA NAVALIS AD ABOUKIR, 1798.

QUUM NEAPOLIO victor ab Alcairo rediret, erant in potestate nostrâ Corcyra, Melita et Ægyptus cujus possessionem tredecim naves maximæ veluti contiguam Galliæ nostræ efficiebant; idque ita sentiebat NEAPOLIO, ut in istis navibus spem præcipuàm reponeret. Idcircò *Brueys* classis præfecto mandaverat ut quam primùm in Corcyram abiret; at ille, sive hostem timens, sive, quod veriùs est, de sorte classis securus, jussis non paruit, et in perniciem nostram remansit ad Aboukir.

Ibi mare, flexu littoris, sinum efficit qui vergit ad oppositum promontorium in quo sita est Rosetta. In hoc

secessu *Brueys* naves reduxerat, singulas ad unius rudentis distantiam, et erant omnes in hoc ordine dispositæ, scilicet: *Bellatrix*, *Domitrix*, *Aquilo*, *Spartana*, *Populus Supremus*, *Franklin*, *Oriens*, *Tonans*, *Felix*, *Mercurius*, *Timoleo*, *Guillelmus-Tell* et *Generosa*. Harum latera cymbis et navigiis minoribus protegebantur; insuper in insulâ quæ surgebat ad sinistram lineæ, instructa fuerant tormenta quæ lineam nostram transversè tuebantur. Sed præfectus classis planè ignorabat Anglis pervium esse aditum inter insulam et naves, de quo admonitus à suis ducibus, præsertìm à *Dupetit-Thouars*, eorum verba nihil aut parùm curaverat; imò ea erat ejus incuria ut, quùm hostes advenerint, ille *Orientem* picturis adornaret, totusque esset in ordinando convivio. Interìm Angli quibus erat littus apprimè notum, errorem nostrum comperti,

cæcum quidem sed audax consilium ceperant, viæ sibi faciendæ inter littus et lineæ nostræ principium. Quorum classis propè par numero navium tredecim navibus constabat, ea verò nostræ erat inferior numero tormentorum; quippè Angli navem unicam habebant septuaginta quatuor tormentis instructam, cùm è contrà singulæ naves Gallicæ septuaginta quatuor tormenta haberent, exceptis *Tonante* et *Oriente* quarum altera octoginta, altera centum et viginti tormenta gestabat.

Angli ad Ægypti littus advecti sunt die trigesimâ Julii; die autem primâ Augusti proram verterunt ad Alexandriam, ut indè profecti propositum suum faciliùs exsequerentur. Ideò, velis omnibus expansis, post meridiem circa horam quartam feruntur ad Aboukir, ubi nostri eorum impetum sustinere parabant; sed repentè, dato signo, classis An-

glica spatium, quod inter littus et lineam nostram remanserat, præcurrit. Navis quæ præibat, monstratâ viâ sequentibus, naufragat. Duæ aliæ succedunt, sed ita strenuè excipiuntur à prioribus nostris, scilicet à *Bellatrice* et *Domitrice*, ut iis sese dedere cogantur. Simul ex navibus adversis quæ extra lineam erant, sex intravêre sinum, collectisque viribus, unà impetum fecerunt in duas naves victrices, quæ ipsæ, amissâ prædâ, vicissim ab hostibus capiuntur. Simili modo circumaguntur tertia et quarta, deindè quinta et sexta, et sic ad *Orientem*, quæ in medio stabat, cunctæ in ditionem Anglorum veniunt, dùm præfectus immobilis hanc ruinam spectaret solius rationis oblitus quâ ipse victor fieret; scilicet ut, se jubente, naves extremæ anchoram solverent, Anglosque circumcingerent qui extra lineam erant. Demùm Angli deveniunt ad

Orientem, navigium magnitudinis inusitatæ, centum et viginti tormentis instructam. Sed illi minimè audebant ad eam navem accedere, quippè sola ad eos debellandos valebat; quoties enim suo latere fulmina evomeret, ea poterat navem adversam in fluctus demergere. Cùmque eminùs emitterentur globi, *Brueys* qui in ponte aderat, gràviter vulneratur. Statìm omnes advolare atque instare ut interiùs descenderet; ille abnegat, eâque virtute plenus quæ Francis ingenita est, abstrahentibus respondit: « Classis præfectum in » ponte suo stantem mori oportere ». Mox ille rursùs attingitur et occumbit; forsan ut ferales imprudentiæ fructus non cerneret; at verò qui signis præerat, errore gravi, omittit interitum ejus annunciare classi, ideòque miles incertis rumoribus turbatus, nec ad unum imperium intentus, fugam potiùs quàm

prœlium moliebatur. Inter hæc, trabe ardente in *Orientis* puppim illapsâ, bitumen accenditur, largumque incendium in eam partem immittit. Flamma vorax in altum exsurgit totamque molis compagem amplectitur quæ, nuper picturis illita, nova flammis nutrimenta præstabat; jam ignis ad proram pervenerat, mixtoque ruinarum tumultu, terroris ululatus et morientium voces exaudiebantur. Stabat dux *Orientis* inter flammarum globos impavidus *Casabianca*; juxtà erat filius juvenis, animo et pietate ætati suæ præstantior qui suo minùs quàm paterno periculo commotus à genitoris præsentiâ divelli non poterat. Hunc nautæ nequicquàm abstrahere conabantur, ut ipsum natando salvarent. Perstabat puer generosus : « Abite, inquit; licet vobis » patriæ inservire, ego verò patrem » non deseram ». Hæc fatus, inter flam-

marum vortices in patris gremio consumptus evanuit.

Tunc Angli vicinitatem ignis exosi, recedunt ab *Oriente*, ac paulisper intermittitur pugna. Nec intereà cessat ignis rapidus qui jam superiorem vasti navigii partem absorbsit; at viri magnanimi quibus nulla spes remanet, nisi ut in undis salutem inveniant, nihilominùs in prœlio pertinaces, ex inferioribus fenestris horrendùm fulminabant. Tandem ipsi flammis corripiuntur; alii pereunt; alii fluctibus obruuntur; pauci ad ora tormentorum brachiis suspensi, expectant dùm, factâ explosione, in mare demittantur, lignis fluitantibus enataturi. Ultima jam venit hora: ignis adrepens in intima, sulphureum pulverem incendit qui, fragore infando, molem istam flagrantem ad centum pedes eructat, simulque octingentos milites à quibus defendebatur. Dehinc Angli igneâ peste

liberati, cæteras naves, junctis viribus, aggrediuntur.

Orientem sequebatur *Tonans*, navigium immane cui præerat eximius inter classiarios *Dupetit-Thouars* qui, ut dictum est suprà, calamitatem nostram præsenserat. Ille, inovitabilis fati præscius, statuerat gloriosè occumbere, fortemque sociis animum afflaverat; cùmque navis repetitis Anglorum ictibus undiquè pulsaretur, hæc una vox in nave personabat: *Pro patriâ moriamur.*

Stupet acer Britannus, navemque reformidat nomini inclyto non imparem. In eam tota classis irrumpit; eam solam lacessit, quæ, leoni similis, iniquos assultus propulsabat. Tùm verò *Dupetit-Thouars* globo percussus, effractisque cruribus, in pontem demittitur; undè ablatus circumstantibus repetebat: « Viri fortes, nolite unquàm

» navem Anglis tradere ». Illi, ad mutilati ducis aspectum, dolore perciti et quasi amentes, homines non jam, sed dii videntur, et soli totam classem usque ad lucem detinent; sed, orto sole, *Dupetit-Thouars* legatum suum vocat, eique demandato navis regimine, acceptâque ab eo fide se illam non sinè magno hostium damno tradituram, vitâ decedit. Tunc *Belliard*, præsentiâ suâ, novum militibus ardorem inspirat. Nec ipse nescit in eo victoriam positam esse, nempè ut extrema classis, conversione factâ, hostem à tergo circumdaret: eâ mente, anchoram solvi jussit. Vix illud fieri incipiebat, cùm globus bellicus dejecit proræ malum jam anteà crebris ictibus effractum. Hinc navis, non ampliùs retenta, vento impellente deflectit, atque ad littus illiditur. Cæterùm, cùm legatus classis *Villeneuve*, vidisset *Orientem* et

Tonantem pereuntes, naves suas ventis vela dare atque abire imperavit; sed illæ, in fugâ interceptæ cum cæteris, venerunt in Anglorum potestatem, exceptis *Guillelmo-Tell* et *Generosâ* quæ, vento favente, dilapsæ cum duobus navigiis minoribus, scilicet, *Justitiâ* et *Dianâ*, ad Corcyram confugerunt, eò quod hostibus, qui per octo et decem horas atrocem pugnam sustinuerant, non licuerit eas prosequi; at ipsi, fortunâ animo potentiore adjuti, victores in campo stetêre, decem egregiis navibus captis.

Hîc exitus fuit cruenti certaminis inter duas potentissimas gentes quæ inter se de imperio contendebant. Hinc per quatuor leucarum spatium in littore conspiciebantur ingentes navium carinæ, et miseranda nostrorum cadavera, in silenti sabulo miris modis hærentia: et qui nuper à suorum complexu di-

vulsi, patriæ gloriam quæsiverant, ibi per longinquas solitudines disjecti, ventorum aut Arabum ludibria jacebant.

Clade istâ, Franci victores tanquam in exsilio detinebantur, nec jam nobis Ægyptus provincia, sed colonia fiebat. Verùm invicta NEAPOLIONIS constantia fractos militum animos reficit: totus ille est in sibi conciliandis populis, edocendisque agriculturam cæterasque artes quibus Europa nostra præcellit. Ad operam strenuè concurrebant sapientes illi quos secum adduxerat, quique, spretis laboribus et periculis, nihil aliud nisi patriæ gloriam et generis humani utilitatem quærebant.

Sed jam Constantinopolis, auditâ navium nostrarum ruinâ, bellum nobis indixerat, et barbaræ nationes sedibus suis excitæ, fœdus contra nos inierant, religionis auctoritate sancitum. Turcæ et Saraceni in perniciem nostram conju-

rabant parabantque è Syriâ impetum facere. Interim NEAPOLIO iis obviàm ire statuit, ut malè coalitam societatem faciliùs deturbaret, terrasque subigeret quæ olìm Alexandro Magno paruerant. Quin etiam, altiora consilia meditabatur animo, sed fortuna potentior salubriter destinata dissolvit, et maris tyranni potentiam navalem iterùm servavêre.

Itaque, relictâ Ptolemaïde, ne sub infaustis ejus mœnibus cum peste pugnaretur, NEAPOLIO Ægyptum repetens, post aliquot victorias de Circassis reportatas, ad Alkairum reversus est.

Paulò post ille se contulit in *Ghize* ad conspiciendas Pyramides quas olim Alexander neglexerat, ut Jovem Ammonem inviseret.

PUGNA AD ABOUKIR, 1799.

Hæc admiranti nuntium affertur ex Alexandriâ ingentem classem Turcarum adventasse quæ, ad oram appulsa, castra posuerat ad arcem Aboukir. Igitur Neapolio Alexandriam venit, ubi stationes hostium contemplatus, promptiori consilio imitatus est Cæsarem ad Pharsalum, equitesque suos in subsidiis ita collocavit ut, vel ante certamen, de victoriâ certior esset. Prima frons Turcarum erat intra vallum arenosis aggeribus à sinistrâ protectum. Sequebatur acies altera quæ erat præcipuum robur exercitûs. Copiarum autem præfectus, cum suis ducibus, inter hanc aciem et oppidum constiterat. Neapolio, exercitu disposito, ad hostem pro-

cessit. *Lannes* impetum fecit in priorem aciem quæ protinùs debellata est atque in fugam conversa; indè turmæ nostræ in hostes invectæ, viam illis interceperunt, et omnes aut capti sunt, aut trucidati, aut in Aboukir sinum submersi. Continuò equites nostri prædictum arenarum aggerem occupavêre : exin ventum est ad alteram frontem situ et opere valdè firmatam et multis tormentis defensam. Tunc oppugnatum est munimentum quod à dextrâ lineæ extra vallum prominebat. Ibi quidquid virtutis ad Arculum et aliàs monstratum fuerat, inclaruit; fit utrinquè strages horrenda. Ab equitibus nostris super ipsas fossas dimicatur, trigesima secunda legio cum decimâ octavâ penetrat in vallum, ubi Franci cum ferocibus Turcis, collato pede, manus manibus immiscent. Quis facta sive singulorum, sive universorum mente assequi possit

aut verbis exprimere? Turcæ acinacem rotantes irruunt in lanceas nostras, certantque ferrum quod sibi mortem inferebat detrahere. Fortes interficiuntur; alii subeunt; *Duvivier* et *Le Turq* super hostium cumulos occumbunt. Jamque Turcæ, de victoriâ confisi, erumpunt è vallo ut, amputatis cæsorum capitibus, argenteam cristam obtineant, longiùsque, spoliorum aviditate, à munimentis abstrahuntur.

In omni certamine tempus breve est in quo, viribus hinc et indè exhaustis, æquo Marte dimicatur. Occasionem occupat NEAPOLIO, datoque signo subsidiariis, *Lannes* ad pugnam immittit, strenuusque *Murat*, subditis calcaribus, invadit vallum quod hostes incautè deseruerant. Hinc, refecto certamine, miscetur utraque acies; sed barbari nequeunt gallicum impetum sustinere, citòque captis eorum munimentis, mi-

les noster, resistentiâ ferox, etiam cedentes trucidabat : quidquid lanceas effugerat, turmis irruentibus proterebatur : equorum pectora sanguine manabant ipsique inter sparsa cadavera pedes ægrè moliebantur. Mox, viâ fugientibus ad naves præclusâ, Turcæ in Canopi sinum detruduntur, nihilque prorsùs de tanto exercitu superfuit. Gallos diceres pugnasse contra inanes catervas quæ, per aera dispersæ, ex oculis evanuerant. Hàc memorabili pugnâ, nobilissimi duces Francorum saucii fuêre, inter quos dux *Murat* qui, hoc utiquè prælio clarus, Turcarum satrapam acriter urgebat, cùm barbarus, exploso minori sclopeto, ei ambas maxillas globulo transadegit. Ille instat nihilo segniùs, ducemque captum cum ejus custodibus, ante victoris pedes adducit. Sic, de viginti millibus Turcis, sex millia capti et quatuor millia interfecti sunt;

cæteri in mare demersi periêre. Hæc effecerunt Francorum duo millia, imperante NEAPOLIONE.



NEAPOLIO GALLIAM PROFICISCITUR, ANNO 1799.

Quid autem agebatur apud nos? Quid juvabat Arabes Nilumque subigere, quùm *Suwarow* principesque *Carolus* finibus nostris imminerent? Virum invocabat patria quo bellante nuper, salva et gloriosa extiterat. Audit Neapolio Galliæ gementis vocem; favorque numinis quo afflante ducitur, itineris audaciam absolvit. Ideò *Kleber* imperium suscipit, et *Muiron* (*) è portu fugiens in altum progreditur.

(*) Sic erat navis nuncupata à nomine adjutoris qui, ut suprà dictum est, ad Arculum cecidit cum summo desiderio Neapolionis qui, nullius officii immemor, litteras scripsit ad ejus viduam pietate et laudibus insignes.

Intereà Angliæ prædones undiquè circùmfusi, æquoribus pervolant: naves innumeræ unam insectantur quæ, ventis famulantibus impulsa, Galliæ fortunam vehebat; et quùm undequaquè, futura præsagiens, circumfremeret Albionis furor; quùm spumantes fluctus carinæ latera pulsarent, NEAPOLIO inter hostium et elementorum minas impávidus, sedebat in ponte, solusque cum suis consiliis, sibi non jam, sed patriæ cogitabat. Videbat enim deletos exercitus nostros, jura gentium conculcata, bellum civile renatum, ubiquè cædes et latrocinia, ærarium deperditum et exhaustum; distractam inter impotentes tyrannos auctoritatem, præteritæ dominationis asseclas vindictam anhelantes, et licentiam nefariâ voluptate bacchantem.

Hæc dùm ante Galliæ littora mente volveret NEAPOLIO; en duo, mox quin-

que, deindè septem carbasa apparent; hinc demittuntur antennæ, nec alia salus remanebat quàm si tenebræ lunæ splendorem obtegerent. Repentè opportunà caligine involvitur cœlum, et quidquid lucis internitebat, extinguitur; sed inter nubes clarè exaudiebantur Anglorum tormenta quæ navem circumdari præcipiebant. Dubius hæret gubernator an retrò in Corsicam concedat: at, imperio navis tùm primùm assumpto, Ægypti domitor iter pergere jubet, Anglisque elapsus, ad oram illam allabitur, undè Divus Ludovicus, exactis octo seculis, minùs feliciter anchoram solverat.

NEAPOLIO AD FORUM JULII ALLABITUR, ANNO 1799.

Ubi auditum est Neapolionem ad Forum Julii appulisse, lætitia quæ subitò sparsa est per omnem Galliam, satis monstravit quidquid ex hoc reditu, quasi fidem excedente, sperandum foret.

Tunc, memoratis prioribus triumphis, Italia iterùm devicta representabatur animis: contra bellum civile invocabatur vir ille, qui apud Leoben pacem populis dederat; invocabatur contra licentiam potestas unica et salutis omnium custos. Ea verò amoris et fiduciæ signa invidiosa erant imperantibus, simulque evocatoribus hominum perditorum, qui, cùm civitatem vexare so-

liti essent, cujuslibet auctoritatis frenum detrectabant. Nunc judicandum erat inter eos qui inanem rempublicam excogitaverant, aut potiùs inter eos qui justum ordinem stabilire conabantur. Illi NEAPOLIONEM reformidabant; sed tot beneficiorum memoria procaces animos intra venerationis limites retinebat.

Cæterùm, ubi NEAPOLIO Lutetiam advenit, ejus agendi ratio civem eximium comprobavit, qui, spretis vulgaris prudentiæ consiliis, unicè intentus erat in iis eligendis, qui spontè ad patriam salvandam advolabant.

QUÆ ACTA SUNT

Die decimâ octavâ mensis Brumarii an 8 (nonâ Novembris 1799.)

SED res ad finem properat : mense nondùm elapso, congregatur Ordo Seniorum, et decretum fit ut Senatus transferatur ad pagum D. Clodovæi, simulque militare urbis imperium NEAPOLIONI committatur. Tùm ille, quasi præoccupatâ futuræ magnitudinis auctoritate, Quinque-Viros palàm objurgans : « Quid fecistis, inquit, de illâ » Galliâ quam ego vobis tanto splendore » lætam reliqui ? Hîc pro datâ pace » bellum, pro victoriis meis clades re- » perio ; vobis Italiæ thesauros reli- » queram ; nihil hodiè, nisi leges ini- » quas et inopiam aspicio. Quid insu-

» per fecistis de centum millibus Fran-
» cis quos ego singulos noveram, cunc-
» tos gloriæ meæ participes? Trucidati
» sunt!

» Res ita permanere diutiùs neque-
» unt; sic enim Galliam ante tres an-
» nos in apertam tyrannidem detrudi
» necesse foret. Utiquè Rempublicam
» volumus, quæ æquitate, moribus,
» libertate ac tolerantiâ politicâ funde-
» tur: sub meliori regimine Franci
» obliviscentur factiones quibus turpi-
» ter famulari coacti sunt. Nunc equi-
» dem tempus est restituendi defenso-
» ribus patriæ eam fidem quæ illis jure
» ac merito debetur ».

Nec mora, regia villa circumdatur præsidiis, ibique, convocato utroque Senatu, in Seniorum Concilio, nequicquàm reluctantibus multis, dominatio Quinque-Virorum abolitur.

Continuò dux NEAPOLIO sese confert

ad alterum Concilium, videlicet ad Quingentos viros, ubi majus periculum imminebat. Vix enim nunciatum est NEAPOLIONEM adesse, subitus furor animos occupavit; eo viso, ingens exortus est tumultus, cunctique, subselliis relictis, partìm ad eum interficiendum, partìm ad defendendum concurrunt. Ille autem nihil aliud obstrepentibus nisi os placidum opponit. Sed, intellecto periculo, dux *Lefevre* curiam intrat cum paucis armigeris qui NEAPOLIONEM, vitæ suæ periculo circumdatum abstrahunt. Tunc, ereptâ prædâ, furibundi senatores in Lucianum Bonapartem, Concilii principem, iram suam vertunt, instantque vehementer ut ipse fratrem suum Reipublicæ hostem pronunciet. Ille indignatus abnegat et sellam curulem deserit. Mox verò ad eam reversus, insignia dignitatis suæ deponit. Quo viso, exar-

sit rabies adversariorum, quibus hæc agendi ratio Concilii dissolutionem annunciare videbatur, eratque Lucianus in summo discrimine, cùm à superveniente militum globo è vociferantium manibus eripitur.

Intereà, miles circum curiam fremens, magno clamore exposcebat, ut improba illa dissentio dirimeretur, quùm repentè legionum primarii in atrium subeunt, iteratisque vocibus, senatores exire jubent. Perstant illi nihilosecius, immobilesque in subselliis remanent. Tunc tribunus militum cohorti suæ imperat ut, lanceis prolatis, citato passu in curiam irrumpat. Quo facto, videas illos qui jam jam victorem Arculi sub ferro retinebant, turpi metu captos effugere; alios portas petere; alios fenestras scandere; multosque insignibus suis, ne fugam proderent, abjectis, per hortos et plateas evadere.

His peractis, boni ad NEAPOLIONEM coeunt, sitque novum Concilium, cui præerat Lucianus, et reliquum noctis consumitur in constituendis et maturandis quæ ad salutem publicam pertinebant.

Ea dies finem discordiis nostris imposuit, et, post annos undecim, vir unus antiquum illud Imperium relevavit, cujus provincias, reges invidi, votis inter se dividebant.

INCIPIT POTESTAS CONSULARIS

Die 19 Novembris 1799.

TUNC promulgata est constitutio consularis, et creati sunt Consules tergemini, videlicet NEAPOLIO, *Roger Ducos* et *Sieyes*; et, post à duobus ultimis abdicatam dignitatem, *Cambaceres* et *Lebrun*. Eos adjuvabant Senatus legum custos, Consiliariorum Corpus, Concilium legislativum, et Collegium Tribunorum. NEAPOLIO, summâ rerum potitus, litteras de pace tractandâ scripsit regi Magnæ Britanniæ die vicesimâ sextâ Decembris.

RELIGIO VINDICATUR,

ANNO 1802.

Non multò post, sancitus est Concordatus inter Primum Consulem et Papam. Die autem Paschatis anno 1802, Consul ipse edixit legem de restaurando patrio cultu quæ protinùs per totam urbem publicata est.

Eâdem die, Consules cum legatis aulæ consiliariis omnibusque ministris et amplissimo militum comitatu, omni plaudente populo, templum intravêre. Papæ legatus sacra celebravit, lectoque Evangelio, archiepiscopi et episcopi fidem juraverunt Primo Consuli. Quod quidem summâ lætitiâ civitatem affecit et cujuscunque generis ordines grati animi sensus demonstravêre

NEAPOLIONI qui jam pacem fecerat cum Britannis apud Ambiacum die vicesimâ septimâ mensis Martii, anno 1802.

Dein Consul bellum intestinum compescuit quod, ab anno 1793, rebellantes Britanniæ nostræ regiones miserè populabatur.

Gallicam Academiam novo regimine ditavit.

Deniquè ordinem illum creavit qui sub nomine *Legionis Honorificæ* cognoscitur; cujus insignibus virtus bellica civilisque dignitas præmiantur, eaque militia tutando Imperio et vindicandæ libertati sese jurejurando adstringit. Nova quidem et insignis institutio quæ et litterati seculi mores et præpollentem NEAPOLIONIS sapientiam arguit! Decreta fuit mense Maio, anno 1802.

Sic NEAPOLIO civilibus fessam odiis Rempublicam ad meliorem statum revocavit; paulatìmque restitutis ærario,

legibus et litteris, Lutetia jam pridem oblitum splendorem exhibuit. Hinc stabiliri jus novum rectæ rationi et disciplinis nostris consentaneum, totaque Europæ compages humanioribus vinculis firmari. Jamque illa augurabatur ætas in quâ maxima mundi Imperia sese invicem tanquam unius familiæ partes amplexabuntur ac diligent.

SECUNDUM BELLUM ITALICUM,

ANNO 1800.

INTEREÀ Consul ægrè ferens se ab administrandis rebus distractum, perpetuò pugnandos hostes habere, vincere aut gloriosè occumbere statuit. Ideò, fulminis instar Lutetiâ profectus, die vicesimâ Maii conscendit juga Divi Bernardi cum omnibus copiis et tormentis, quod hostibus ita visum est incredibile, ut, cùm exercitus noster jam esset ad Sessiam, *Melas* eos irrideret qui Francos adventare nunciabant, ratus Consulem cum paucis duntaxat Alpes trajecisse ut Germanos à capiendâ Genuâ deterreret. Intereà è glaciali Alpium culmine delapsus NEAPOLIO, pristinum gloriæ theatrum recepit.

PUGNA AD MARENGO,

Die decimâ quintâ Junii 1800.

Die decimâ tertiâ mensis Junii exercitus noster, relictis Tertonæ muris, flexit cursum ad Alexandriam quam occupaverat hostis. Cùmque ventum esset in planitiem ubi situs est Marengo, contra Germanos incessimus; sed *Melas*, pugnam detrectans, ad pontem Bormiæ impositum retrocessit. Hinc Consul contemplatus locorum situs, omnia disposuit cum summâ constantiâ, licèt per tota hanc diem imbre continuo madidus. Imperatoris prætorium erat in *San-Juliano*.

Die decimâ quartâ, ad solis ortum, in primo agmine fulminatum est, prœlioque incœpto, tormentorum fragor magis ac

magis ingruebat. Hostium linea ad duas leucas et ampliùs extendebatur. Ipsi pontis aditum acerrimè defendebant, sed præcipuas vires contulerant ad *San-Stefano* ut indè, captâ Voguerâ, viam nobis interciperent. Jamque nuncii omni ex parte, frequentiores verò ex acie ducis *Berthier*, concurrebant ad stationem Primi Consulis, qui cùm intellexisset rem nobis esse cum cunctis Austriæ viribus, ipse exercitûs imperium suscepit. Mediâ die innumera nostrorum multitudo ceciderat. Ala sinistra, cui imperabat *Victor*, cedere incipiebat, et, profligato equitatu, pedites nostri è pugnâ excedebant, fusisque ordinibus, paulatim ala dextra circumagebatur, et subsidia quæ ducebat *Desaix* longissimè aberant à castris.

NEAPOLIO advolat ad frontem et suâ præsentiâ pugnam reficit. Tunc Germanorum turmæ in planitiem effusæ, in

frontem nostram invehuntur; sed *Murat* eas in obliquum adortus, abeuntes copias protexit tantâ felicitate ut salvum fecerit dextrum latus ducis Victor cui jam imminebat hostis. Exindè quingenti pedites prætoriani contra Germanos progressi sunt usque ad quinquaginta passus, et postquàm insigni virtute pugnassent, prorsùs exhaustis missilibus, ad suorum agmen reversi sunt. Intereà frons et alæ nostrorùm circumagebantur, cùmque hostis in alâ sinistrâ videretur superior, verendum erat ne ille ad Consulis stationem penetraret. Insuper præsidium Tertonæ, impetu facto, è portis erupit, et trepidanti similis exercitus noster fugæ proximus erat. NEAPOLIO semper in fronte, constanti vultu, eos confirmabat qui, stragi superstites, strenuè tuebantur viam arctissimis faucibus interclusam. Obstabant hinc nemus, illinc vineæ, et contrà adversabatur

Marengo, ibique, ingenti cæde editâ, Gallorum agmina triginta tormentis fulminata cadebant.

Circa horam quartam, per duarum leucarum spatium, vix nobis sex millia peditum, et equites mille cum sex tormentis remanserant, jacebantque passìm cumulata nostrorum cadavera. NEAPOLIO ubiquè versabatur, militisque simul ducisque officia exsequebatur, hostiumque furorem vitæ periculo sustinebat. Hîc *Melas* cùm videret se non posse illas angustias superare, validissimam, ope tormentorum, lineam formavit, quâ favente, pedites suos in prædictas vineas et in circumjecta nemora injecit; illiusque turmæ tormentis protectæ, exspectabant dùm cederent agmina nostra, ut continuò in laxatos ordines irruerent. Sed ecce mutatur fortuna : decem leucarum itinere emenso, properatìm adveniunt subsidia, ingens-

que alacritas ac fiducia milites accendunt. Tùm verò *Melas*, cùm frons nostrorum acerrimè pugnaret, arbitratus est se, cornibus extensis, Francos faciliùs circumdaturum esse. Ideò vires movit, sive ratus has, nobis insciis, dispositiones fieri, sive sperans frontem nostram tormentis suis posse contineri. At ille ignorabat quæ apud nos agerentur, et subsidia quæ exercitui nostro supervenerant. NEAPOLIO, ad omnia intentus, hunc errorem animadvertit, arreptâque occasione, omnia simul prævidit et peregit.

Desaix, conserto agmine, angustiarum jugum occupaverat : tympani præcipites prœlium jubebant. Protinùs incedunt Franci torrentis instar, et ardor gallicus omnia prosternit ; jamque ex angustiis elapsus unusquisque ducum, instructâ acie, subjectos campos invadere parat. Acies nostra, subsidiis aucta,

formidandam speciem assumpserat; prout adveniebant tormenta, ponebantur in suggestu undè cædem et mortem cominùs evomebant. Hinc Germani successu paulò antè ferocientes, terrore perculsi cedunt. Dein eorum equites, effuso cursu, in nos invecti, lanceis tormentisque nostris inhibentur; indè crescit eorum pavor, tandemque debellantur et terga vertunt. Tunc equitatus noster in planitiem incurrit. A dextrâ, egregius *Desaix* transversè agens agmen, sepes et fossas superat, oppositasque vires obterit. A lævâ, dux *Victor* celeritate non impar expugnat Marengo, atque ad Bormiam properat; cùmque frons nostra, additis equitibus ducis *Murat*, sensìm incederet citra tormenti jactum, eâ frontem adversam ita urgebat, ut hostis impeditus et circumactus ingentes turmas moliri non posset, cùm ei minarentur tria tormenta, tremen-

dusque igniferi globi apparatus. Hinc pedites nostri, quibus brevior via peragenda erat usque ad pontem, Germanos circumire viamque illis intercipere incipiebant. Demùm inclytus *Desaix* à dextrâ progressus usque ad *San-Stefano*, lævam Germanorum divisit; simulque *Kellermanis* filius, octingentis equitibus stipatus, sex millia Hungaros circumdedit, dùm *Zach*, castrorum princeps, ab equite secundæ legionis caperetur. Sed, proh dolor!.... eo momento et sub ipsis victoriæ pennis cecidit eximius *Desaix* qui, lethali plumbo percussus, deficiensque inter manus adjutoris sui *Lebrun* : « Edissere, inquit, Primo » Consuli me id solum dolere, quod » non ampliùs fecerim ut mei nomen » apud posteros relinquerem ». Et continuò extinguitur. Cujus interitu Consuli nuntiato : « Quare, exclamavit ille, » fas mihi non est hunc virum lugere »?

Intereà nox properabat, hostiumque multitudo promiscuè concurrebat ad frontem, cùmque *Murat* fugientibus instaret, multi per festinationem in fluvium præcipites ruebant. Tandem equites prætoriani, licèt exhausti labore continuo, impetum fecerunt in hostes qui debellati et fugati campum deseruêre. Eâ pugnâ capta sunt decem millia Germanorum inter quos duces plurimi : prætereà cessêre nobis signa militaria quindecim, quadraginta tormenta, undecim oppida munitissima, ad ultimùm omnis Italia : undè facta est cum Germanis gloriosa pax, cujus instrumentum scriptum est Lunevillæ, die decimâ nonâ mensis Februarii 1801.

Hoc fœdere, omnis Italia, Rheni dextra, et Respublica Batavorum Imperio nostro in perpetuùm addita.



VIRGILII APOTHEOSIS,

ANNO 1801.

Ut mens lectoris à bello paululùm quiescat, hîc juvabit pauca de ludis virgilianis tradere, idque Neapolioni non inglorium; ipse enim Andes servavit ejusque auspiciis hæc solemnia indicta sunt.

Dux *Miollis* litterarum studio non minùs quàm armorum gloriâ insignis, quùm exoptaret divi Virgilii præconium celebrari, Mantuanos invitavit ut in litterariâ palæstrâ ante Maronis imaginem poeticos flores spargerent; proindè è proximis regionibus docti complures Mantuam convenêre ut eximium scriptorem dignis versibus prædicarent. Populus ipse ejus solemnitatis particeps esse

voluit, et congregatus in Andibus, suo more veneratus est patrium vatem qui, à decem et octo seculis, apud cultissimas gentes dicendi magisterium tenet. Quis oratione complecti possit apparatum illum ab insigni pictore *Zanni* excogitatum? Quis eam sylvam describat quæ *Virgiliana* vocabatur, veramque lætitiam quâ Maronis patria nunc primùm civis sui gloriam decantabat? Si fortè defunctos tangit rerum humanarum cura, huc profectò advolavit tanti sapientis umbra, gaudensque erravit inter illa vireta popularibus suis referta, honores contemplando qui à Gallis victoribus memoriæ suæ habebantur.

Hæc acta sunt die decimâ quintâ mensis Octobris anno 1797. Sed posteà dux *Miollis* Mantuæ redux, è variis monumentis quæ Maroni erexcrat nihil prorsùs reperit. Cuncta enim

fuerant à barbarico furore in Francorum odium eversa et deleta. Itaque dux *Miollis*, viro immortali novos honores conferri jussit. Die vicesimâ mensis Martii anno 1801*, aulæa per totam urbem fuerunt suspensa, domusque civium festâ fronde et Virgilii simulacris solemniter adornatæ sunt. In medio areæ quæ, dicta olim *Argina*, nunc *Virgilii Platea* nuncupatur, marmorea surgebat basis ubi poetæ statua jam jam collocanda exspectabatur. Illa triumphali curru eminens, quatuor equis albentibus vehebatur. Circà erant formâ præstantissimæ virgines, candidis indutæ vestibus, zonâ purpureâ decorè succinctis: quarum ex humeris pendebant alæ cæruleæ, extimis pennis argento micantibus; sic enim Bonarum Artium Genios imitabantur: et jam pompa subierat arcum variis imaginibus ex *Æneide* desumptis insignitum. Tandem erigitur in altum

imago veneranda, omni populo acclamante tubisque bellicis undiquè resonantibus, quùm intereà detonaret fulminantium tormentorum majestas. His accessit spectaculum in quo, inter ignes Sinensium more rotantes, Mantuanus cantor stellis cinctus et gloriâ effulgens apparuit. Exindè per totam urbem, faces innumeræ clara incendia dederunt; et, ad ultimùm, præcipui cives in Academiæ porticibus ad prætoris mensam vocati accubuêre.

Hæc in Virgilii laudem celebrata sunt, jubente Primo Consule, quasi ille Cæsaris Augusti oblivionem incusaret, jamque prænunciaret suam erga doctos benevolentiam, cùm aliquandò Cæsarum dignitatem cum eorum dominio conjunctam haberet.

TUMULUS DUCIS DESAIX.

Post narratos honores, Virgilii memoriæ collatos, non injucundum lectoribus fore existimo, si ad Alpes reversus, eos ad herois gallici monumentum conduxero.

Per altissimum montem qui *Divus Bernardus* dicitur, via est quâ ab Helvetiis itur ad Pedemontanos. Ibi asperum regnat frigus, nec ipsâ æstate solvitur horridæ tempestatis rigor; ibi nullus frutex vim telluris altricem arguit, alesque nulla, præter aquilam, illis rupibus insidet; passìm oculos contristat pruinarum immensa inamabilisque vastitas; undiquè nudi scopuli, voragines, silentium immobilisque rerum aspectus, nisi aliquoties varietur

nivium cadentium fragore, nimbisque fugientibus qui modò dilabuntur ad ima rupium, modò viatorem humentibus tenebris involvunt. Nihil aliud natura deficiens exhibet in istis montibus cum æternâ laude à NEAPOLIONE superatis.

Quorum in cacumine, ineunte seculo decimo, hospitium erectum fuit à Bernardo de *Menthon*, equite Sabaudo. Mirandum sanè christianæ religionis argumentum quæ, dùm omnia universali charitate complectitur, hanc quoque institutionem excogitavit! Ibi habitant pii sodales quibus est præcipua cura ut subleventur cujuscunque gentis, conditionis aut fidei viatores qui sese huic viæ committunt. Eos nemo frustrà invocavit; alii scandunt abruptas rupes, si fortè dabitur periclitantem cohortem aspicere; alii aperiunt semitas, non sinè vitæ periculo; sæpè enim frigore cor-

repti, nivibus obruuntur: sed illi nives et frigus et mortem ipsam contemnunt. Nec apud eos vigilantiam virtuti imparem reperias. Hos ubiquè comitantur molossi, fraternâ, ut ita dicam, pietate, peregrinos investigantes; et si fortè, istorum naribus pereuntis miseri vestigium aut vox ad aures affertur, protinùs illi adsunt, eumque, suis blanditiis, veluti admonent bonum animum habere, et strenuè ad hospitium convolantes, cum cistâ collo appensâ, subsequentibus dominis, redeunt. Tunc boni sacerdotes reperto fratri opitulari gaudent; quem gelu et terrore exanimem è nivibus extrahunt et inter brachia sustinent dùm super glaciem pes incertus titubat, vel inter abyssos demergitur. Nocte dieque huic pio ministerio incumbunt, eorumque sollicitudo hominum saluti invigilat in istis cautibus pavore plenis, ubi diurno labore

intenti virtutem heroicam exercent, quæ nullius laudibus decantabitur.

Quorum in sacello situs est tumulus ducis *Desaix*. Nimirùm in ipsam gloriæ suæ viam, in eam sedem ubi mens pura immortalitatem concipit, NEAPOLIO reliquias transtulit amici de patriâ benè meriti. Exegit monumentum egregius artifex *Moïtte*, marmorisque simplicitas apprimè consonat cum illius simplicitate cujus memoriam æternat. In eo conspicitur anaglyptum quo dux ille moriens inter commilitones effingitur. Gnarus viator ab itinere deflectit, festinatque invisere sepulcrum solâ nominis majestate insigne; multaque memorans trepido pectore, accedit ad locum ubi quiescit heros, NEAPOLIONIS amicus, prœliis acer, post bellum humanus ac mitis, idemque bonarum artium assertor. Vivit, æternùmque vivet fama viri ad omnia

quæ rectè facienda sunt nati, militibus carissimi, ingenuâque virtute, merentis semper potiùs quàm gloriam captantis.

NEAPOLIONIS CODEX PROMULGATUR

Die decimâ quintâ Martii, anno 1803.

BONÆ leges meritò dicuntur ratio scripta. Illæ fundamentum habent in intimo justitiæ sensu quem in cordibus nostris alma rerum natura infixit. Ut primùm, discussâ seculorum barbarie, innotuit jus romanum, in pervolvendis codicibus quibus continetur quidquid humanæ societati prodesse potest, majores nostri doctrinam agnoverunt præpotentis populi qui orbem legionibus suis submiserat. Ideò, adoptatis illius statutis, cessaverunt absurda judicia quæ tandiù superstitio admiserat. *Ludovicus XIV* primus excogitavit et

decrevit legum corpus romano jure innixum. Germani posteà opus illustravêre quod apud nos, variis de causis, remansit imperfectum. Jam dudùm exposcebantur leges justæ et communes, sed languida regum nostrorum auctoritas has ferre non valuit, ipsisque potentior ratio coacta est vulgi consuetudinibus obtemperare; quin etiam immanis rebellio verita est hæc repagula frangere; nempè huic plebi conabatur inservire cujus nomine imperium exercebat. Tandem exortus est Vir excelso animo præditus, qui dissidentes hominum voluntates, voluntate suâ, compescuit, et Codex editus est qui veterum utilitati novas utilitates adjungeret, communisque, non solùm Galliæ, sed etiam præcipuis Europæ regionibus fieret.

Neapolionem in hoc incœpto auxiliati sunt egregii jurisconsulti qui vitam

in agendis causis et perscrutandis jurisprudentiæ arcanis impenderant. Hos inter eminent Princeps Archi-cancellarius, et DD. *Portalis, Preameneu* et *Tronchet*, quos hîc honoris non tantùm, sed etiam famæ et meritorum causâ nomino.

Nunquàm è memoriâ nostrâ excidet novum illud et amabile fœdus quo totius Europæ arbiter summam ingenii vim cum prudentium doctrinâ composuit. Ille bellator, et juvenis, et solâ ratione instructus, eruditos senes edocebat qui taciti admirabantur sapientiam ejus ore loquentem. Sic demùm inclaruit illa tot regum et magistratuum tandiù decepta cogitatio. Hinc, opere immortali, Gallia nostra iniquas leges abolevit quæ sicut erant causidicis fundus abundans, ita et cæteris civibus calamitatum et ærumnarum origo.

Posteà edicti sunt Codices alii, scilicet

de Mercaturá et *Judiciorum Formis*, quorum ultimus *de Criminibus vindicandis* publicatus est anno 1810.

NEAPOLIO AD IMPERIUM EVEHITUR, ANNO 1804.

Quùm Senatus gallicus, Neapolionis Consulatum per decem annos, deindè in perpetuùm prorogavisset, datâ illi facultate successores sibi testamento scribendi, eum postremò Gallorum Imperatorem declaravit die Maii decimâ octavâ 1804.

« Summum hominis bonum, inquit D. *Fontanès* (tunc Concilii gallicani princeps, nunc almæ Universitatis Moderator) in animi tranquillitate » repositum est; sed illa tranquillitas » in mansuris duntaxat institutionibus » fundatur. Ideò potestatem supremam » quâ cæteræ institutiones fulciuntur, » ab instabilitate voluntatis humanæ li-

» beram atque immunem esse convenit. Omnis enim dominatio quæ fit à delectu, incerta, injusta et debilis est, ut solent esse cupiditates humanæ : contrà, quidquid ad hæredes transmittitur, sociali vinculo vim et quodammodò perpetuitatem confert quæ naturæ operibus ingenita est. Itaque successio non interrupta auctoritatis in eâdem familiâ, cæterarum familiarum pacem et diuturnitatem constituit; utque singulorum jura firmiter custodiantur, Imperium ab uno in perpetuùm possideri necesse est : sed populus ille præsertìm qui eximiis dotibus maximam conjunxit indolis levitatem, regimen illud amplecti debet, quo vigente, sua levitas compescatur, virtutesque suæ magis ac magis inclarescant.

» Verùm enim verò, in pervolvendis populorum annalibus, passìm repe-

» riemus apud inclytas gentes regem
» unicum eumdemque hæreditarium
» cujus auctoritas, si iis non adjuvetur
» præstigiis quibus capta ducitur multi-
» tudo, iis tamen corroboratur argu-
» mentis quæ è calamitatis sinu et sa-
» pientium verbis emergunt.

» Actum est; evanuerunt antiquitatis
» somnia: quorsùm enim illa spectant?
» His non eget heros qui nunc ad
» summum Imperium evehitur. Vix
» quatuor et triginta annos attigit, et
» jam illius facta mirabiliora sunt fabu-
» lis ipsis quibus veterum regnorum
» origo circumdatur. Cuncta victoriæ
» et publicæ voluntati cedant necesse
» est. Nil novi habent miræ istæ com-
» mutationes; etenim ad cadentium,
» iterùmque cadentium soliorum frago-
» rem, generationes humanæ de rerum
» fragilitate meditantur.

» Prisca imperia civilibus procellis

» resurgunt, princepsque novæ dominationis, animi fortitudinem, consiliorumque vim stirpi suæ transmittere videtur ; nempè non potest inficiari amplam felicitatis et gloriæ segetem posteris nostris enasci. Ab ineunte seculo nono et decimo datur huic orbi monumentum insigne, dùm potestas hæreditaria et unica magnificè proclamatur ad maximum Galliæ splendorem atque Europæ concordiam, cujus errores sic antecapiuntur et in futurum subrogantur.

» Quùm mens humana, morbo pessimo, videlicet rerum omnium immutandarum studio laboraret, alios homines, societatem aliam, aliumque mundum creare moliebatur ; ipsa verò suis conatibus exhausta ausisque exterrita nunc seculorum fidei atque auctoritati submittitur. Itaque ratio nostra verè amplificatur quùm suos

» ipsa errores confessa, viribus sapienter
» utitur atque intelligit quos intra li-
» mites sua coercenda sit infirmitas.
» Proindè erroribus ipsis edocta, timore
» præteritorum, in mala contraria mi-
» nimè detrudetur. Sic, democratiæ cla-
» moribus ferale servitutis silentium
» non succedet. Varii civitatis ordines,
» inter se librati, feliciter coalescent,
» iisque sublatis quibus subvertitur li-
» bertas, ea conservabunt quibus illa
» promovetur. Regia majestas potentiæ
» consularis beneficia confirmabit, ea-
» que augebit; nec enim ipsi tanto
» virium apparatu opus erit. Scilicet
» hæreditariæ dominationis securitas
» Imperii severitatem mitigat, eòque
» minorem violentiam adhibet quò
» paucioribus impedimentis periculis-
» que retinetur ».

NEAPOLIO CORONAM ASSUMIT

Die secundâ Decembris 1804.

Die secundâ Decembris 1804, Neapolio coronam assumpsit in templo metropolitano beatæ Virginis, quò convenerat quidquid inter proceres illustrius et inter sacerdotes sanctius erat. Quin etiam, Româ relictâ, *Pius septimus* Pontifex maximus his solemnibus adfuit; isque, more solito, sacra fecit, ut legum auctoritati veneranda religionis majestas accederet. Dixisses non tantummodò Galliam, sed Europam omnem eò concurrisse, ut augustum illud pactum clariùs sanciretur. Deus ipse felicitati nostræ visus est annuere, hâc enim tempestatis inclementiâ, solem suum voluit solemnitatis pompam insi-

gniori momento radiis suis illustrare.

Quùm verò princeps ad imperatorias ædes reverteretur, jam nox obscura tenebras in orbem obduxerat; sed flammarum fulgor regium exornavit hospitium, innumeræque faces, discussâ caligine, noctem die ipsâ pulchriorem effecêre. Hinc sese in palatium recepit NEAPOLIO, vultu sicut animo vera gaudia exhibens, ad aspectum tanti populi qui mille modis lætitiam demonstrare conabatur. Deniquè urbs tota lætis flammis exarsit, et fastigia domorum ignibus indianis collustrantia, mirandum spectaculum præbuêre.

Imperio suscepto, NEAPOLIO regi Magnæ Britanniæ, qui fœdus Ambianiense ruperat, iterùm litteras scripsit his verbis :

« D. F., mihi divinâ providentiâ,
» Senatûs, populi et militum votis, ad
» Galliæ thronum evecto, prima et

» præcipua mens est de pace faciendâ.
» Franci et Britanni opes suas miserè
» perdunt; utiquè fas ipsis erit inter se
» per multa secula decertare; haud ta-
» men scio an eorum reges sic officio
» fungantur quod illis impositum est;
» haud scio an sanguis qui sine causâ
» effunditur, eorum conscientiam non
» incuset. Absit ut mihi dedecus esse
» putem quod prior ad te scribam. Satis
» enim compertum est me non refor-
» midare armorum discrimina, aliundè
» mihi parùm timenda. Pax mihi ante
» omnia in votis est, licèt bellum nihil
» unquàm gloriæ meæ detraxerit. Ita-
» que Majestatem tuam oro ut volup-
» tatem non recuset quæ sibi è pace
» orbi concedendâ nascetur, neque il-
» lam natis felicitatem relinquat. Verùm
» enim verò nullum aliud tempus nec
» aptius nec felicius extitit undè dira
» odia placentur, atque vigeant simul

» humanitatis et rationis jura. Quæ si
» occasio aufugerit, ignoro quis finis
» futurus sit huic bello quod ego inter-
» mittere non potuerim. Regiones et
» divitiæ quas decem abhinc annis
» adepta est Majestas tua, ipsius Eu-
» ropæ mensuram excedunt. Natio tua
» prosperitatis apicem attigit. Quid igi-
» tur de bello sperandum est tibi?
» Forsan ut gentes contra nos coa-
» lescant? Neutiquàm: regna cuncta
» quiescent, et nihil aliud Majestas tua
» proficiet, nisi ut magis ac magis Galliæ
» fines extendantur. Forsan ut iterùm
» suscitentur inter nos intestinæ dis-
» cordiæ? Sed mutata sunt tempora.
» Exhauriatur ærarium? Exhauriri ne-
» quit ærarium quod agriculturæ fonti-
» bus alitur. Deficiant coloniæ? Sed
» præterquàm quod illæ sunt nobis so-
» lummodò secundariæ, plures à Majes-
» tate tuâ possidentur insulæ quàm ut

» facilè conservari queant. Quod si animadvertere velit, illa probè sentiet bellum ratione carere, nullamque ex eo utilitatem percipi posse. O acerbam sanè cogitationem! ob id solùm populos impelli ad prœlia ut sese invicem conficiant! Satis patet mundus ut duo ibi populi simul vivere queant satisque valet ratio ut modus reperiatur undè nostræ componantur discordiæ, dummodò hinc et indè pacis desiderium adsit. Sic autem humanissimum mihique gratissimum officium implevero. Cæterùm, Majestas tua persuasum habeat hos verè esse sensus meos, mihique nihil antiquius quàm ut tibi eos factis comprobem ».

His Georgius rex nihil æqui respondit. Sic, intrà septem annos, Britannis pacem constanter abnuentibus, pax quinquies oblata.

Spe lapsus NEAPOLIO audax incœp-

tum animo concepit, ratusque irruptionem in Britanniam ad magnitudinem novi principatûs valdè conferre, legiones ab omni provinciâ convenire jussit. Ibi Galli vectorias naves ingentemque liburnicarum copiam collegerant. In littore exploratorum manus et distributa idoneis in locis tormenta bellica, hostem à navibus arcebant. Aderant inclyti duces, et bis centum armatorum millia pugnæ et prædæ desiderio incensa.

NEAPOLIO REX ITALIÆ SALUTATUR, ANNO 1805.

INTEREÀ NEAPOLIO Italiam profectus est, quùmque Mediolanum inviseret, illi Imperium Italiæ delatum est senatusconsulto Reipublicæ Cisalpinæ. Itaque die dominicâ Maii vicesimâ sextâ, in templo Divi Ambrosii, solemni ritu assumpsit coronam ferream quam, ut fama est, reges Longobardi gestare consueverant. Hæc à remotis temporibus religiosè asservabatur in urbe Modoetiâ, non longè à Mediolano.

Sacris peractis, NEAPOLIO ascendit ad altare ubi erat corona ferrea, quam ipse susceptam capiti suo imposuit his verbis: *Quam mihi dat Deus, hanc nemo audeat attrectare;* eâque cinctus, incessit

ad thronum mediâ templi testudine, ubi sedens, dextrâ evangelio superpositâ, jusjurandum pronunciavit quo religionem aliaque instituta servare ac defendere promittebat.

Non multò post, principem *Eugenium* vicarium suum regno præfecit. His quoque temporibus, id est die quartâ mensis Junii, quùm NEAPOLIO esset Venetiis, Senatus Ligurum enixè poposcit ut suprema populi potestas Galliarum Imperatori demandaretur. Quamobrem NEAPOLIO sese contulit in Genuam cujus Respublica, die trigesimâ mensis Junii 1805, Imperio in perpetuùm adjuncta est.

PRIMUM BELLUM GERMANICUM, ANNO 1805.

Cum, ut suprà dictum est, Imperator totus esset in hostibus reprimendis et vindicandâ marium libertate, en septentrionis reges, Britanniæ nummis decepti, sociorum terras invadere et pericula Tamisiæ minitantia sibi arcessere. Verùm intra duos menses Bavari liberantur, Vindobona capitur, et debellati simul ad Austerlicium Bastarnæ et Germani Neapolionis clementiam implorare coguntur. Hîc juvat rem fusiùs exponere ut alumni apprimè cognoscant qualis fuerit Imperatoris virtus et belli peritia.

Ubi bellum à septentrione exarsit, Neapolio exercitum à Gesoriaco atque

omni orâ maritimâ castra movere jubet, urbemque regressus, Senatum vocat, patresque sic alloquitur :

» P. C., hisce Europæ temporibus,
» summa mihi cupido incessit inter vos
» versari sensusque meos expromere.
» Urbe abeo in castra, præsidium sociis
» populique mei fidelis propugnator.
» Exultat votorum compos perpetua
» terrarum hostis Britannia. Bellum
» apud Germanos exarsit. Rem cum
» Anglis communem gerunt Austriaci et
» Bastarnæ, et iterùm genus humanum
» belli sævientis atrocitatem perpessu-
» rum est. Paucis antè diebus mihi adhuc
» perstabat servandæ pacis fiducia, dùm
» ego exterorum minas injuriasque pa-
» tienti animo dissimularem. Nunc verò,
» Oeno flumine ab Austriacis trajecto,
» captâ Monachio, atque exsule Bo-
» jorum principe, spes omnis abiit.
» Jam manifesta est Britannorum im-

» probitas; scilicet illi timebant ne
» toties à me pronuntiata pacis desi-
» deria prævalerent, neque, visâ quæ
» ante pedes dehiscebat voragine, Aus-
» triacus ad æquiorem mitioremque viam
» duceretur: eum itaque præcipitem
» in bellum egêre. Ego quidem mise-
» reor errorem istum tanto sanguine
» luendum esse. Sed ex eo discrimine
» novus Galliæ triumphanti splendor
» emerget.

» Cùm ego, P. C., vobis acclaman-
» tibus, omnique populo poscente, ca-
» piti meo coronam imposui, jura-
» verunt omnes ipsam incolumem in-
» contaminantamque fore.

» Igitur cùm Galli variis temporibus
» fidem bonumque animum erga me
» comprobati sint, sic ego confido ipsos
» secuturos esse Imperatoris sui signa
» legionesque meas Galliæ fines quàm
» primùm excessuras.

» Togatus, miles, plebeiusve sit, » cuncti patriam immunem esse volunt » à tyrannide Britannorum, qui, si » dominarentur, nulla nobis nisi post » combustas classes, congestos portus, » et mercaturæ artes in perpetuùm » abolitas, pax turpissima speranda » foret.

» Quidquid gallicæ genti pollicitus » sum, ego fideliter exsolvi : illa quidem » promissa sua factis superavit. Nunc » autem suæ meæque gloriæ interest ut » ea MAXIMÆ GENTIS cognomentum, » quo ipsam mediâ ex acie compellavi, » magis ac magis mereatur.

» Ergò agite, ô Galli, Imperator » vester militesque mei proprium mu- » nus obibunt, vestro et vos funge- » mini ».

Hinc Imperator, repentino ab urbe discessu, obviàm exercitui quem *maximum* nuncupabat, incessit; et post

paucos dies Wertingen advenit, ubi, repulsis hostibus, occupavit arcem Guenzbourg; deindè Germanos magnificè devicit ad Ulmam quâ potitus est, deditione factâ à duce *Mack*, hujus urbis præfecto. Dein princeps *Murat* et *Lannes* Vindobonam ingressi sunt.

Mox ipse NEAPOLIO cum legionibus suis advenit; positoque prætorio in Schœnbrünn, villâ regiâ suburbanâ, post aliquot dies nobilissimam Austriæ urbem victor intravit. Deindè Schœnbrünn reversus, nec desidiâ nec voluptate victoriam corrumpebat; sed inter militares curas Galliæ felicitati edictis suis providebat. Ibi inter Austriacæ gentis imagines, contemplando *Mariæ Theresiæ* vultus, jam tùm æternæ pacis fœdera præsagire sibi videbatur.

Intereà, post diversa prœlia, copiæ nostræ in Moraviam pervenêre; et ipse

NEAPOLIO ad Eburodunum hujus provinciæ caput stationem suam transtulit; hinc sub autumni finem duo exercitus in conspectu fuêre. Quùm autem ad Olmucium convenissent *Franciscus* et *Alexander*, ultrò pacis sermones facere instituebant; sed brevi, receptis Russiæ prætorianis, spes novas concepêre, et levibus victoriis elati usque ad primas excubias nostras discurrebant.

Tunc intellexit NEAPOLIO quanta esset hostium imprudentia, jussitque exercitum in stationem tutiorem retrocedere, et, veluti terrore perculsus esset, munitiones et tormenta bellica cum summâ celeritate et diligentiâ disposuit.

PUGNA AD AUSTERLICIUM,

Die secundâ Decembris 1805.

Quæ cùm agerentur, missus ab *Alexandro* venit in castra princeps *Dolgorouki* cujus oculis continuus excubiarum motus et tumuli properatim aggesti confusionem et metum indicare videbantur. Quamvis autem Neapolio solitus esset curam levissimam adhibere in excipiendis caduceatoribus, tunc, adauctâ prudentiâ, se ipsum ad primas stationes contulit, patienterque toleravit superba legati dicta, qui eò devenerat jactantiæ, ut postularet ferream Italiæ coronam hosti nostro infensissimo permitti. Jamque agebatur apud Bastarnas non de profligando, sed

circumagendo atque capiendo omni Francorum exercitu.

Die primâ Decembris 1805, NEAPOLIO è speculâ ubi noctem egerat, conspexit ad duos tormenti belliçi jactus, hostium copias quæ, factâ conversione, alam sinistram Francorum circumituræ progrediebantur, sæpiùsque dixit : « Hostem teneo ; cras ante » noctem hic exercitus penes me erit ». Cùmque advesperasceret, ipse pedes et depositâ majestate, ad excubias invisendas se contulit ; sed protinùs à militibus agnitus est, cunctique subitâ lætitiâ elati, palearum fasciculos ad perticas alligant, exindè octoginta millia armatorum Imperatorem suum collucentibus tædis consalutant ; dùmque complures pronunciarent se illi die posterâ, quæ erat suscepti imperii anniversaria, votiva serta oblaturos esse, inter legionum primarios senior ad eum

accessit his verbis : « Princeps , non est
» quod caput tuum periculis committas,
» pro cunctis legionum primariis ego
» spondeo , oculis solummodò tibi
» pugnandum fore ; cras enim ante
» pedes tuos hostium signa cum tor-
» mentis adducentur , ut sic assumpti
» diadematis dies anniversaria celebre-
» tur ».

Hinc quùm NEAPOLIO sese reciperet in excubias , id est in casulam à militibus suis è paleis confectam : « Hæc
» dies, inquit, mihi videtur totius vitæ
» pulcherrima, sed displicet meminisse
» plurimos mihi ex istis fortibus hodiè
» amittendos ; ipsoque dolore meo
» admoneor eos mihi filios esse. Istius
» me cogitationis pœnitet, vereor enim
» ne illa me bello inhabilem efficiat ».
Dein omnia disposuit quæ necessaria erant ad pugnam , et post mediam noctem, equo vectus, agmina sua per-

volavit, exploratisque hostium stationibus, audivit eos per totam noctem valles et circumjecta nemora inconditis clamoribus complevisse.

Die autem secundâ Decembris quâ, anno elapso, NEAPOLIO coronam assumpserat, sol rutilans exoritur, quasi primum, imò clarissimum seculi nascentis factum, admiraturus. Imperator inter suos marescallos jussa daturus, lucem expectabat; ubi verò effulsit, unusquisque ducum, mandatis acceptis, agmen suum properè consequitur (*). Tunc NEAPOLIO suas legiones obequitans, inquiebat : « Milites, bellum istud finiendum vobis est velut ictu fulminis quo demùm conteratur hostium superbia ». Hîc pilei tuborum

(*) Vitandæ obscuritatis causâ, inclytis ducibus servabuntur posthàc nomina gentilitia, eorumque tituli et dignitates ad finem operis adjicientur.

lanceis affixi extolluntur, et universalis lætitiæ clamor quo salutatur NEAPOLIO fit pugnæ incipientis signum.

Jam tormenta undiquè fulminabant in alâ sinistrâ quam hostes circumegerant; sed illi improviso marescalli *Davoust* occursu inhibentur. Hinc miscetur pugna, et marescallus *Soult*, cùm agminibus ducum *Vandamme* et *Saint-Hilaire* progreditur ad juga vici Prathzen, prorsùsque dividit dextrum cornu hostium quorum motus ob dubitationem difficillimè peragebantur; quùmque illi fugerent, à lateribus premebantur, et lacessiti à nostris, dùm ipsi nos lacessere putarent, jam se victos arbitrantur. Tunc princeps *Murat* cum equitatu suo progreditur, protinùsque ala sinistra cui præerat marescallus *Lannes*, instructis agminibus, incedit, omnisque linea, collatis signis, cum hoste committitur: hinc gigantum

more confligunt armatorum ducenta millia, ducentaque tormenta hinc et indè horrendùm roboant. Vixque elapso unius horæ spatio, ala hostium sinistra intercipitur, dextraque eorum retrocedit usque ad Austerlicium, ubi erant gemini Imperatores hostium, quorum consilio Russiæ prætoriani incedere jussi sunt, ut, si fieri posset, frons eorum exercitûs cum sinistro cornu denuò coalesceret. Quùmque illi strenuè dimicarent, quarta legio nostra ab iis profligatur et conteritur. Hæc conspexit NEAPOLIO, protinùsque immisit ducem *Bessieres*, ut cum prætorianis alæ nostræ auxiliaretur. Hìc incredibili strage prostrata cecidit Bastarnarum multitudo, cunctisque fugatis, eorum tormenta, signa militaria, et dux ipse legionis capiuntur. Imò conculcatur agmen principis *Constantini* qui forsan et ipse occidisset, nisi, equo velociori

ablatus, è pugnantium manibus evasisset. NEAPOLIO inter ordines pervolabat, ut sanguini parceretur, ejusque clementia vitam quatuor millibus Bastarnis veniam petentibus, servavit.

Intereà duo Imperatores è jugis Austerlicii conspiciebant prætorianorum suorum cladem; hinc imperator Austriensium, arreptâ *Alexandri* dextrâ: « Frater, inquit, Deus nobis non favet; » abeamus »; et continuò aufugerunt ad Olmucium, parùmque abfuit quin ambo caperentur ab equitibus principis *Murat.*

Pugna incœperat horâ septimâ, et paulò post meridiem cessit nobis victoria, nec illa per levissimum temporis punctum dubia pependit; adeò certa erant NEAPOLIONIS; consilia eaque cum tantâ celeritate peracta, ut vel minima in exercitu sollicitudo extiterit, nec etiam subsidiariis opus fuerit.

Jamque tormenta cessabant, nec ea exaudiebantur, nisi in alâ dextrâ nostrorum. Tùm phalanx hostium quæ circumdata et jugis expulsa fuerat, confugit in vallem vastis paludibus circumscriptam. Eam NEAPOLIO persecutus est cum viginti tormentis, hostesque gradàtìm è stationibus detrusi, spectaculum horrendum! ad viginti millia in paludem demersi sunt. Quùm enim aquâ gelu constricta foret, super hanc hostes effugerant; mox verò tot hominum pondere ictibusque tormentorum glacies effracta, miseranda ululantium agmina profundis gurgitibus absorbsit.

Cæterùm hæc victoria omni ex parte debetur Imperatori. Ille enim summâ peritiâ aciem instruxit, et promptiori animo cuncta providit et direxit in pugnâ quæ à militibus *trium imperatorum*, à NEAPOLIONE *pugna ad Austerlicium* nuncupatur. Hostes nu-

mero superiores erant, quùm nobis essent tantummodò octoginta millia armatorum, hostibus verò quinque et centum millia, quorum pars maxima cæsa aut capta. Insuper ablata sunt centum et quinquaginta tormenta.

Stationes nostræ porrigebantur usque ad castellum Kaunitz, inter Brunn et Austerlicium, Germanique mirabantur hic regnum propemodùm cecidisse, ubi inter avos jacet optimus *Kaunitz*, qui, per annos quinquaginta, sub *Mariâ Theresiâ* et *Josepho II* res Austriæ administravit et auxit.

Tunc demùm *Alexander* declaravit se velle cum ipso NEAPOLIONE de rebus suis agere, et colloquium inter eos actùm est ante prima Francorum stativa, in horreo agresti cui à duobus mensibus victor consueverat. Ibi pacis compositio hosti concessa est, eâ lege ut quamprimùm ab Austriaco-

rum terris recederet; quod *Alexander*, datâ dextrâ in signum bonæ fidei, spopondit. Et ille cui fas erat Bastarnarum agmina penitùs conficere, ut generoso principi morem gereret, victoriam compescere maluit. Dein instrumentum fœderis scriptum est Posonii, die vicesimâ sextâ Decembris 1805; eâdemque die, NEAPOLIO declaravit Vindobonæ civibus se, sancitâ pace, eorum urbem, armamentariumque integrum relinquere, quamvis belli legibus ea omnia sui juris essent.

Sic NEAPOLIO, quasi per ludum, confregit immanes adversariorum apparatus. In fatis esse videbatur ut à Britannis malè coalitæ societates, victricis Galliæ magnitudinem augerent, eamque latè hostibus formidandam efficerent. *Primâ* enim Italos, ripam Rheni sinistram, Belgiumque amiserunt Germani. *Secundâ* Pedemontani, Ci-

salpini et Liguri imperio nostro additi. *Tertiâ* cessêre nobis Neapolis, Venetiæ, Bavari et Tirolenses; demùmque, fractâ Borussorum potentiâ, inclaruerunt *Rheni Fœdus* et *Helvetiorum Mediatio*.

BELLUM BORUSSICUM,

ANNO 1806.

INITIO mensis Octobris, quùm rex Borussiæ timeret ne Bastarnæ et Galli in suam perniciem coalescerent, arma cepit, et inopinâ irruptione invasit Saxoniam. Tunc NEAPOLIO, quàm maximâ potuit celeritate, pervenit ad castra, indè exortum est bellum, quod sex dierum spatio perfectum, Berolini portas aquilis nostris aperuit.

PUGNA AD JENAM,

Die decimâ quartâ Octobris 1806.

Borussi copiis nostris undiquè circumacti, castra moverunt die decimâ tertiâ Octobris, cum centum circiter et quinquaginta millibus armatorum, atque, instructâ acie, in conspectum prodiêre. Post meridiem advenit Neapolio ad Jenam, ibique, ex editâ montis planitie, ubi primum agmen insistebat, speculatus est motus hostium qui parabant die sequenti occupare aditus Saalæ fluminis. Illi numero et situ ferè inexpugnabiles, tenebant viam quæ ab Jenâ ducit ad urbem Weimar, existimantes nos non aliter in pugnam exituros, nisi hoc aditu superato, quia fieri

non posse videbatur ut bellica tormenta efferrentur in jugum, cujus superficios vix quatuor agmina capiebat; sed totâ nocte consumptâ in aperiendo per scopulum itinere, indefessis laboribus, in illud jugum tormenta provecta sunt. Hinc, rebus ritè dispositis, NEAPOLIO inter suos, sub Dio vigilias egit.

Ea nox mirum oculis spectaculum exhibebat, duos scilicet exercitus quorum alter sex leucarum latitudinem occupabat, ignium fulgore sicut continenti incendio cœlum omne collustrans; alter brevi intervallo circumscriptus, consilia, vires et copias in unum collegerat; sed ubiquè rumor, trepidatio et vigilantia. Ignes mutui ad bellici tormenti jactum vicinitate jungebantur, ita ut adversæ excubiæ propemodùm contiguæ forent, nullusque motus hinc et indè fieret quin utrinquè exaudiretur ab hoste.

Cœptâ luce, exercitus in armis stetit: acies ducis *Gazan* tribus constabat ordinibus, in sinistrâ jugi parte ubi erant agmina ducis *Suchet.* Prætoriani montis jugo insederant, et erat unumquodque agmen in debito intervallo tormentis instructum. Ab urbe et à proximis vallibus aperta fuerant spatia quò facilior fieret motus copiarum quæ in planitie jugi collocari non poterant. Densâ caligine obscurabatur cœlum. NEAPOLIO legiones obequitans, Francos admonebat « ut sibi caverent
» ab illo equitatu cujus terror undi-
» què spargebatur; ipsos, anno vix
» elapso, eâdem tempestate Ulmam
» cepisse; nunc verò Borussos, ut an-
» teà Austriacos, ab ipsis circumda-
» tos, eosque, amissis præsidiis et
» cibariis, non jam pro gloriâ, sed
» pro salute dimicare; iis deniquè ni-
» hil aliud superesse nisi ut, facto

» impetu, per nostra agmina elabe-
» rentur. Itaque jubebat milites in-
» tueri quanta ignominia iis foret qui,
» ignavè cedendo, viam hosti ape-
» ruissent ».

His incensus miles, signa dari clamore magno exposcebat; protinùs copiæ leviter armatæ certamen adortæ sunt, et ita invectum est in Borussos, ut eorum acies è loco munitissimo citiùs deturbata fuerit. Exindè exercitus noster in planum eductus, ordinari cœpit cum centum et quadraginta millibus armatorum.

Ex aliâ parte, arma sumpserant hostes, quibus initio mens fuerat non priùs incipere prœlium quàm omninò dissiparetur nubes quæ tuentibus rerum conspectum abstulerat. Sed caligo duravit etiam per duas horas. Tandem, discussâ nube, sol splendore suo campos irradiavit, geminique exercitus sese

invicem agnoverunt ad tormenti bellici jactum. Lævum exercitûs nostri, vico et nemore protectum, ducebatur ab *Augereau* quem prætoriani milites dividebant à fronte, cui præerat *Lannes*. Dextrum constabat ferè è solo agmine quod *Soult* ad pugnam adduxerat; quippè nihil habebat nisi tria millia peditum, cæteris ob tarditatem in itinere retentis.

Hostium aciem tuebatur numerosus equitatus cujus omnes motus eximiâ celeritate peragebantur. Proindè statuerat NEAPOLIO certamen inhibere dùm adessent subsidia, præsertìm equitatus cujus mora consilium fefellerat; sed vicit gallicus ardor; et quùm agmina nostra proximum vicum occupassent, processit hostis ea depulsurus. Continuò *Lannes* hosti occurrere jubetur, et *Augereau* sese repentè ad prœlium confert. Tunc verò acerrimè dimicatum

est. Tercentum millia armatorum cum octogentis fulminibus undiquè mortem evomebant, et copiæ hinc et indè mandata sic exsequebantur, ut eas crederes per belli imaginem inter se colludere.

Hîc NEAPOLIO, receptis agminibus quæ in viâ restiterant, signum dedit primis agminibus quæ, acceptâ fiduciâ ex auxilio recenti, cum majore alacritate in Borussos incurrunt, eosque ingenti cæde prosternunt. Tunc *Murat* cum equitatu supervenit, frendente milite victoriam se absente jam fuisse reportatam, undè ferociùs in hostem proruere, ordines fundere, eosque in fugam vertere. Ibi ingens equorumque hominumque ruina campos implevit, nec pedites ipsi, factâ phalange, vim tantam sufferre possunt; quinque agmina dicto citiùs superata et obtrita, fractusque omnis tormentorum apparatus et undiquè hostes

deturbati aut capti sunt à Francis victoribus qui, per sex leucarum spatium, fugientium tergis hæsêre.

In maximo pugnæ fervore, quùm NEAPOLIO agmina sua inviseret, aciemque regeret, ubiquè à militibus plausu votisque salutabatur. Soli pedites prætoriani ægrè patiebantur omnem exercitum manus conserere, dùm ipsi inertes remanerent; ideò nonnulli ausi sunt signum petere. « Quid ergo? exclamavit NEAPOLIO; miles certè imberbis atque imperitus ille est qui consilia mea antecapere præsumit: priùs ille imperator in triginta pugnis militet quàm audeat ducem suum edocere ». Erant scilicet pauci velites quorum ardor juvenilis et moræ impatiens, temerariâ voce gloriam postulabat. In dextro, dux *Davoust* non solùm opposita agmina continuit, sed etiam repulit, longiùsque fugavit.

Hostium viginti millia, sive occisa, sive saucia fuêre, et circiter quadraginta millia capta, inter quos viginti duces et prætor *Schmettau*. Præterea venerunt in potestatem nostram triginta signa et tercentum tormenta cum castris, commeatibus cunctisque præsidiis. Francorum tria millia tantùm saucii fuêre, et mille desiderati; sed duces paucissimi.

Hâc victoriâ cecidit dominatio præcaria quæ, à temporibus *Friderici-Magni*, potentissima Europæ imperia æquiparabat; et demùm deleta fuit labes illata nobis anno 1757 apud Rosbach, cujus campis post victoriam suam peragratis, NEAPOLIO jussit everti et Lutetiam transferri columnam istam quæ dolorem nostrum testabatur.

Non multò post NEAPOLIO ingressus est Postdamum, subiitque antiquum *Friderici-Magni* palatium, ubi mar-

more expressa veneranda ipsius imago spirabat. Cubiculum in quo vir magnus vitâ decesserat attentiùs circumspexit, deindè invisit ejusdem sepulchrum, ubi, anno elapso, Bastarnarum imperator bellum statuisse ferebatur.

Tumulus artificii expers cultuque haud sanè à monumentis communibus absimilis. Adeuntem jacentemque consociabat eadem armorum fama, et mutua inter silentia, inconstantia rerum humanarum hinc et indè pronunciari videbatur. Pendebant muro ensis, balteus atque insignia. Quæ dùm auferuntur NEAPOLIONIS jussu, parùm ex honoribus sepulchri detrahitur, quandoquidem locum adhuc impleat herois defuncti celebritas, tantique hospitis reverentia. Hæc NEAPOLIO admirationis suæ signa læsi militis hospitio in perpetuùm donavit.

Indè ille die vicesimâ septimâ Oc-

tobris, victor intravit Berolinum: et hæc secunda fuit urbs subacti imperii domina quæ, intra unius anni spatium, NEAPOLIONIS victrices copias recepit.



BELLUM SARMATICUM,

ANNO 1807.

Cùm rex Borussorum, variis de causis sancire recusaret inducias quæ pactæ fuerant in Carolopoli, die decimâ sextâ Novembris 1806, bellum Sarmatis illatum est. Itaque Neapolio Berolino discedens, Posen advenit die vicesimâ septimâ mensis Novembris, et, eâdem die mensis sequentis, princeps *Murat* cum equitatu nostro Varsoviam, Sarmatiæ caput, intravit.

Ingressus ille triumpho similis fuit. Nec enim facilè est exprimere quales fuerint, in eâ civitate, omnium ordinum sensus. Amor patriæ in populi pectoribus altiùs infixus ipsâ temporum calamitate confirmari videbatur. Cuncti

spes novas bonumque animum conceperant. Proceres ipsi è castellis egressi, exhibitisque natis, industriâ et opibus, patrium nomen statumque pristinum votis ardentibus exposcebant. Jamque omnes habitum cultumque suum resumpserant.

Tunc Imperator, publicatâ in castris concione, militibus memoravit tot victorias, tot flumina trajecta omniaque pedibus suis subjecta; monuitque ut Sarmaticos fines ingressi non antè abcederent quàm pacem libertatemque commercii in æternùm comparavissent.



TEMPLUM GLORIÆ DECERNITUR, ANNO 1807.

Tùm quoque Neapolio edixit ut in Urbe templum Gloriæ ædificaretur, perenne monumentum militibus maximi exercitûs, jussitque ibi eorum nomina auro, argentoque et marmore inscribi, anaglyptis statuisque representari duces, arma et vexilla de hoste capta, aliaque virtutis nostræ signa asservari; ibique insuper victoriam austerliacam, quotannis celebrari et emeritæ legionis equites huic templo conservando in perpetuùm addici.

Hîc prætermittam Wkræ et Sonnæ transitus aliaque prælia ad Pulturk et Golymin, et occupatam urbem Breslaw.

Neapolio die decimâ octavâ Decem-

bris Varsoviam ingressus est, ubi octoginta novem tormenta de victis Bastarnis capta ante publicas ædes conspiciebantur. Tropæum insigne! ingensque et Sarmatis ad recuperandam libertatem, et Francis ad augendam gloriam incitamentum!

Hinc exercitus noster, non multò post, hostem devicit ad *Moringhem*, *Bergfried*, *Waterdof*, *Deppen* et *Hoff*; deniquè ad *Eylaw*.

PUGNA AD EYLAW,

Die octavâ Februarii 1807.

NOCTE quæ præcessit hanc pugnam, hostis, instructâ acie, occupabat collem qui post urbem eminet. Sed Franci, commisso intra et extra oppidum prœlio, stativa sua partìm ante urbem, partìm intra illius munimenta collocavêre. Ortâ luce, Bastarnæ pugnam adorti sunt, explosis tormentis adversùs urbem, simulque adversùs alam dextram nostrorum cui præerat marescallus *Augereau.*

Extemplò Imperator, qui in sinisnistrâ erat, cum quadraginta tormentis prædictum collem impeti jubet, undè acriter hinc et indè fulminatum est. Hostis, facto cuneo, citra tormenti

jactum impavidè gradiebatur, ideò pauciores globi in humum innoxii cadebant. Tunc alæ nostræ quarum sinistra regebatur à duce *Saint-Hilaire*, in pugnam exière, eò ut, expansis agminibus, coalescerênt cum marescallo *Davoust*, qui in hostium latus irrumpere parabat. At verò nix effusa geminos exercitus ita contexit, ut prospectum oculorum prorsùs abstulerit. Ob eam caliginem quæ per mediam horam duravit, copiæ nostræ, amissâ directione, quæ ad hostium frontem tendebat, nimisque ad eorum sinistram inflexæ, in incerto fluitabant. Quùm autem nitidior lux, discussis tenebris, adversam aciem ostendisset, princeps *Murat* primus ante turmas, comitantibus prætorianis, circumactâ phalange ducis *Saint-Hilaire*, in hostem invectus est, ausu magnanimo qui nostris valdè profuit. Ideò turmæ

quæ contra nos stetêre, conculcatæ sunt et penitùs obtritæ. Jam non pugna, sed cædes fuit. Hinc fusi sunt priores ordines Bastarnarum, et ultimus eamdem ruinam sortitus esset, nisi ad proximam silvam innixus, ejus auxilio protectus fuisset.

Audax ille insolitusque impetus, quo viginti millia peditum dissipata longè à tormentis suis aufugerant, victoriam prorsùs peperisset, nisi hostes circumjectis nemoribus variisque obstaculis adjuti, cladem suam distulissent. Intereà marescallus *Davoust* hostem à tergo circumibat, invitis nivibus, quæ iterùm atque iterùm cœlum obvelantes, copiarum itineri earumque motibus officiebant.

Cædes duravit per duodecim horas, tercentum fulminibus undiquè mortem evomentibus: quùmque victoria diutiùs incerta pependisset, tandem in

partem nostram inclinavit; quippè marescallus *Davoust*, occupato colle qui aditum planitiei intercludebat, omni ex parte circumegit hostes, iique, cùm frustrà tentavissent collem istum recuperare, sese in fugam converterunt. Hos nostri persecuti sunt usque ad flumen Frischling, sed, celeri fugâ ultra Vistulam, ad centum leucas et ampliùs recessêre.

In eâ pugnâ mille et noningenti Francorum desiderati, quinque millia et septinginta saucii fuêre: marescallus *Augereau* et alii duces vulnerati, duxque unus et complures tribuni globis trucidati.

Ex parte Bastarnarum, septem millia cæsa, circiter duodecim millia saucia, totidem capta cum octo et decem vexillis et quadraginta quinque tormentis; Ea verò spolia nimio sanguine empta.

Post victoriam, Neapolio per dies

complures ferale campum peragravit, ut videre est egregiâ picturâ quæ in ædibus Imperatoriis conspicitur. Spectaculum visu deforme, sed quod humanitas et officium imperabant. Multo labore opus fuit ut sepelirentur defunctorum corpora, et plurimi reperti sunt nobiles Bastarnæ cum suis insignibus, inter quos princeps *Repnin.* Die posterâ adhuc in campo remanserant quingenti et ampliùs saucii Bastarnarum, quos indè efferre non licuerat, quibusque pietatis auxilia ministrabantur, dùm ad castra evehi possent.

Ibi verò per unius leucæ latitudinem cumulata aspiciebantur militum decem, equorumque quinque millia cadavera; ibi aggeratæ Bastarnarum sarcinæ, gladiorum et tuborum fragmina, tellusque lethalibus globis ubicunquè constrata. Sed præcipuè notabantur

quatuor et viginti tormentorum apparatus, inter quos jacebant miseri rectores, ut jam jam abituri procubuerant. Hæc omnia, nivis albore conspicua ita crudescebant, ut regibus ipsis sortis humanæ miserantibus, pacis amorem bellique odium inspirare viderentur.

DANTISCUM OCCUPATUR.

Die vicesimâ Maii 1807.

PRÆCIPUUS hujus victoriæ fructus fuit Dantiscum, patria insignis *Cluverii* geographi. Urbs illa opibus et claritate memorabilis sita est apud Sarmatas ad distantiam triginta leucarum à Kœnisberg, boream versùs, ubi Vistula in mare Balticum incurrit. Ea olim modica fuerat piscatorum habitatio. Sed cùm crevisset undecimo seculo, sub equitibus Teutonicis valdè floruit; ac posteà, soluto freno, facta est libera civitas quam gubernabat senatus sub Sarmatarum, deindè Borussorum patrocinio.

Hanc interfluunt amnes duo, eamque

protegunt ad meridiem et occidentem altissimi montes. Tùm habebat civium ferè quinquaginta millia, additis viginti millibus armatorum, quibus præerat dux *Kalkreuth*. Obsideri cœpit mense Aprili, imperante marescallo *Lefevre*, cui parebat dux *Savary*.

Sed ferè omnia deerant exercitui ad obsidionem idonea, eaque properatìm adducta sunt è Silesiæ oppidis, trajecto plus quàm centum leucarum spatio. Obstabant insuper hiberni temporis rigor, terra gelu constricta, nivesque effusæ, quæ non semel laboribus nostris obfuêre; sed Marescallus omnia sprevit et vicit. Quùmque Bastarnæ, ex parte maris, obsessis opitulari conati essent, cum multâ hominum jacturâ repulsi fuêre.

Quàndò hostis sese nobis permisit, cuncta erant ad oppugnationem dis-

posita. Jamque Francus muris insidebat, quùm dux *Lacoste* qui mandatus fuerat in urbem, redux denunciavit præfectum *Kalkreuth* deditionem proponere iisdem conditionibus quas ipse olim præsidio Maguntiæ concesserat. Id placitum; itaque instrumentum deditionis scriptum est die vicesimâ Maii 1807.

In urbe reperta sunt octingenta tormenta et commeatus omnis generis: præter cætera cessit nobis oppidum munitissimum quod lævum exercitûs cornu tuebatur.

Hâc deditione nunciatâ, lætus NEAPOLIO, in benevolentiæ signum, singulos milites præmio donari jussit, et marescallum *Lefevre*, auctâ dignitate, *Ducem urbis Dantisci* in perpetuùm creavit.

Paulò post commissum est insigne

certamen ad urbem Frieland quod pugnis ad Marengo, Austerlicium et Jenam æquiparatur.



PUGNA AD FRIEDLAND,

Die decimâ quartâ Junii 1807.

PER totam hiemem de pace habita sunt colloquia, spesque erat congressum jam jam in Hafniâ habendum esse, cùm quintâ die Junii 1807, Bastarnæ repentino impetu, è castris egressi, in copias nostras irrupêre; sed pluribus prœliis devicti, plus quàm triginta millia militum amisêre.

Die decimâ tertiâ NEAPOLIO ipse perveneral ad urbem Friedland. Die posterâ hostes superaverant pontem, et, antequàm lux fieret, eorum tormenta detonabant. « Hæc est dies fausta, » inquit NEAPOLIO, dies enim est » quâ apud Marengo triumphatum » est ». Deindè, motis hinc et indè

copiis, variæ pugnæ commissæ sunt; sed hostis ubiquè repulsus non potuit occupare vicum Posthenem; ideò progressus est ad Kœnisberg. Sub vesperum instructa erant agmina nostra, et Bastarnæ aciem suam ita disposuerunt ut eorum ala dextra staret ab urbe Friedland, lævaque ultra unius leucæ spatium extenderetur...

NEAPOLIO, exploratis hostium stationibus, urbem protinùs oppugnari jussit. Hinc, fronte mutatâ, dextram suam ita porrexit, ut cum ultimis Bastarnarum catervis pugnam inire posset.

Non multò post marescallus *Ney* agmina sua movit, signoque dato explosis viginti tormentis, acies ducis *Marchand* processit in hostem, rectè pergens ad templi turrim: ejusdem sinistra protegebatur à duce *Bisson*. Hic circumagi cœpit à plurimis hostium turmis quas ante ibat Tartarorum equi-

tatus; sed protinùs ala ducis *Latour-Maubourg*, subditis calcaribus, hostium irruentium impetum repulit, Bastarnis nequicquàm conantibus ut agmina nostra aliàs diverterentur. Marescallus *Ney* solitâ virtute atque egregiâ prudentiâ milites catervatìm incedentes strenuè ducebat, suoque exemplo ardorem accendebat agminis quod ubiquè inclaruit. Itaque complures alæ hostium quæ premebant dextrum cornu marescalli *Ney*, lanceis prolatis, ab ipso fusæ et detrusæ sunt in flumen, ubi ingens multitudo periit, paucissimis natando elapsis.

Hæc dùm agerentur, sinistra marescalli *Ney* pervenit ad lacunas quibus cingitur oppidum Friedland; sed repentè equites peditesque prætoriani ex iis egressi, strenuè irruperunt in sinistram marescalli, adeò ut Franci turbati et attoniti paulisper remanse-

rint. Mox verò agmen ducis *Dupont*, quod in subsidiis erat, invectum est in prætorianos, qui cum ingenti hominum strage obtriti fuêre.

Bastarnæ ex eorum fronte simul et subsidiis copias subduxêre undè urbem defenderent, sed illud quoque irritum fuit; quippè à nostris urbs oppugnata et capta est, ejusque viæ innumeris cadaveribus obrutæ. Tùm verò frons nostra, cui præerat marescallus *Lannes*, pugnam committere coacta fuit; cùmque hostes frustrà dextram nostrorum lacessissent, arma converterunt ad frontem quà fortiter excepti fuêre. Hîc, neque à peditibus, neque ab equitibus vicissìm irrumpentibus cohiberi potuit alarum nostrarum impetus. Incassùm obstitit hostium dimicantium multitudo, inconcussisque Francorum ordinibus Bastarnæ cuspidibus confossi cecidêre.

Tunc marescallus *Mortier* qui, per totam hanc diem, insigni virtute sinistram defenderat, incessit in hostem, protectus à peditibus prætorianis quos ducebat præfectus *Savari*, nec res diù in ambiguo stetit, nobisque cessit campus ingenti strage constratus.

Periêre Bastarnarum decem et octo millia : capta sunt octoginta tormenta, multa plaustra militaria, multaque signa; insuper ex hostium ducibus quinque et viginti occisi, capti aut saucii fuêre. Hâc clade acceptâ, hostis deseruit urbem Kœnisberg quam protinùs intravit marescallus *Soult*, ubi reperta sunt viginti sauciorum millia ; prætereà quidquid Britanni in hujus belli auxilium miserant, inter quæ centum et sexaginta millia sclopeta. Sic eos Deus ultus est qui cum bonâ fide de pace faciendâ agere debuissent, omnia jura ludibrio habuêre, impotentiam

esse arbitrantes victoris continentiam.

Hinc NEAPOLIO die 19 Junii advenit ad flumen Chronum quod dividit Borussos et Bastarnas, indè ingressus est urbem *Tilsitt*, ad ripam fluminis sinistram, non longè à loco ubi Chronus dividitur in duos alveos quibus in mare Balticum incurrit. Jamque hostis incenderat pontem amni impositum ut tutiùs in Scythiam aufugeret. Hinc effusa conspiciebantur in dextrâ fluminis agmina Tartarorum quæ ultimam hostium aciem componebant. Cùm verò à præfecto Bastarnarum justæ conditiones oblatæ fuissent, pactæ sunt induciæ inter duos exercitus.



CONGRESSIO APUD CHRONUM (NIEMEN),

Die vicesimâ quintâ Junii, anno 1809.

Hic nonnulla à lectoribus exoptantur de illo congressu qui toto orbe est celebratus; insigne colloquium in quo inclyti Imperatores populorum suorum fata, futuramque Europæ tranquillitatem inter se agitabant! In medio fluminis, super combusti pontis reliquias, surgebat tabernaculum properè, sed decorè exornatum, dùm ripis hinc et indè insidebant amborum exercituum bellatores, novum spectaculum avidè contemplaturi. Horâ primâ post meridiem, Neapolio, comitantibus duce et principe *Murat*, principe *Berthier*,

marescallo *Bessieres*, summo marescallo palatii *Duroc* et summo armigero *Caulincourt*, à sinistrâ fluvii ripâ ascendit cymbam, et tabernaculum petiit. Simul *Alexander* cum suis ducibus dextrum littus reliquit, cùmque utraque cymba ad destinatum locum pervenisset, gemini Imperatores, pede illato in ratem quæ tentorium sustinebat, sese invicem amplexi sunt, tabernaculumque ingressi ; postquàm ibi essent per duas horas collocuti, uterque cymbam conscendens in castra reversus est.

PAX AD TILSITT,

Die septimâ Julii 1807.

DENIQUÈ pacis instrumentum cum Bastarnis et Borussis scriptum est in Tilsitt. Exindè terrarum orbi longa quies parta videbatur; quippè cùm potentissimi reges inter se humanitatis jura amicè stabilire conati essent, timendum non erat ne deinceps hostium improbitas adversùs sapientiæ consilia prævaleret.

HISPANIA NEAPOLIONI PERMITTITUR

Die vicesimâ mensis Martii anno 1808.

Intereà, simultate inter Hispaniæ regem ejusque filium exortâ, Carolus IV, abdicato imperio, sceptrum remisit Neapolioni qui germanum Siciliarum regem Hispaniæ præfecit.

Tunc temporis, res à semet ipso domi belloque actas, exposuit, insigni oratione habitâ ad Concilium Legislativum, die Octobris vicesimâ quintâ, quam ego brevitatis causâ prætermittam; exindè profectus est cum potente exercitu, ut Hispanos, Britannorum instinctu, rebellantes ad meliora revocaret. Citò hostem devicit, victor-

que Madritum ingressus, fratrem in throno reposuit : dein Britannorum exercitum circumegit, eumque strenuè persecutus est ad Galliciæ fines, captis multis hostibus cum ægris et impedimentis.



SECUNDUM BELLUM GERMANICUM, ANNO 1809.

TUM verò NEAPOLIO cognovit Austriam cum Anglis fœdus iniisse, cujus ea conditio erat ut Hispanis suppeditarentur centum millia sclopeta. Simul audivit omnem Austriam in armis esse, sociosque nostros ingenti metu perculsos. Quamobrem, inhibito victoriarum suarum cursu, Lutetiam repetens, copias in Hispaniâ reliquit, arbitratus sòlâ præsentiâ suâ Germanos debellandos esse. Jamque Lutetiâ profectus, sese inter hostes intulit, nullis custodiis, nulloque comitatu. Quùmque Franci qui in illis regionibus erant, subitâ aggressione attoniti, trepidarent, hostisque Ratisbonam occupavisset, repentè nunciatur advenisse NEAPOLIO-

NEM, ingensque lætitia inter Francos diffunditur. Nec mora : NEAPOLIO solitâ peritiâ duas acies hostium dividit, iisque devictis, progreditur contra urbem Landshun ubi erat præcipua Germanorum sedes, eamque strenuè invadit. Hinc, deturbatis hostium consiliis, eorum impedimenta cùm omnibus cibariis intercipit; deindè principis Caroli sinistram circumactam debellat, triginta millia hostium capit cum centum tormentis, eâque die tentorium posuit sub mœnibus Ratisbonæ, in ipsâ principis Caroli statione. Deindè hostem persecutus, fuso ejus equitatu, victor intrat Ratisbonam, cujus præsidium capit ad duodecim millia armatorum. Sic, nondùm elapso mense ab injustâ Austriacorum aggressione, Vindobona coacta est victori portas aperire ejusque aquilis obedientiam iterùm præstare.

ROMA IMPERIO GALLICO RESTITUITUR

Die Maii decimâ septimâ 1809.

VINDOBONÆ scriptum est edictum quo in libertatem vindicata est urbs illa quæ, quùm fuisset olim totius orbis domina, posteà *Caroli-Magni* Imperio cesserat. Nunc in pristinum redintegrata, sub NEAPOLIONIS tutelâ, fortior et major erit. Nec ideò quicquam detrimenti patietur religio; imò *supremus Pontifex*, curis civilibus immunis, totus erit charitati cujus est assertor et exemplar.

Eodem anno romana civitas misit ad NEAPOLIONEM qui de hoc beneficio gratias agerent. Legati Lutetiam advenerunt die Novembris decimâ sextâ.

Postquàm oratores introgressi sunt, dux *Braschi*, ultimi Pontificis nepos, allocutus est NEAPOLIONEM, qui sic paucis respondit :

« Memoriâ meâ majorum vestrorum
» facta penitùs insident plena est : ut pri-
» mùm dabitur Alpes transcendere, in
» urbe vestrâ aliquandiù permanere
» statui. Antecessores mei, vos ab
» Imperii integritate disjunctos, tan-
» quàm dominium episcopis vestris
» condonavêre. Jam verò populorum
» meorum utilitas nullam admittit di-
» visionem. Galliam omnemque Ita-
» liam ejusdem dominationis esse con-
» venit. Insuper, auxilio potentiore
» opus est urbi vestræ, et ego maxi-
» mum in vobis opitulandis gaudium
» percipio. At verò mens mihi non est
» ut quidquam majorum nostrorum
» religioni immutetur; quùm enim ego
» sim filius Ecclesiæ primogenitus, ab

» illius sinu divelli nolim. *J. C.* ne-
» cesse non censuit ut *D. Petro* tem-
» porale dominium attribueretur, se-
» desque vestra quæ est sedes christia-
» norum primaria, eadem esse perseve-
» rabit; proindè Episcopus vester ita
» est princeps *spiritualis* ecclesiæ, si-
» cut et ego sum illius Imperator. *Igi-
» tur quæ sunt Dei Deo, et quæ sunt
» Cæsaris Cæsari reddam* ».

Dein, die decimâ septimâ Februarii, senatus-consulto provisum est Romæ, quæ post Lutetiam facta est urbs altera Imperii, multisque dotibus et privilegiis aucta.

Eodem senatus-consulto confirmata sunt quatuor statuta quibus ecclesiæ gallicanæ libertates fulciuntur, scilicet :

1.° Beato Petro ejusque successoribus à Deo rerum temporalium traditam non esse potestatem;

2.° Comprobari ab ecclesiâ gallicanâ synodum Constantiensem quo romani Pontifices, quoad spiritualia, conciliis generalibus subjacent;

3.° Valere regulas nostras, atque immota consistere instituta ab ecclesiâ gallicanâ recepta;

4.° In fidei quæstionibus summi Pontificis judicium non esse irreformabile, nisi totius ecclesiæ consensus accesserit.



DANUBII TRANSITUS,

Die vicesimâ primâ mensis Maii, anno 1809.

NON procul à Vindobonâ, contra *Eberstoff*, Ister sive Danubius scinditur in tres alveos geminis insulis discriminatos. Harum altera, quæ est minor, adjacet ad dextram fluminis; altera verò quæ dicitur *In-der-loban* major ampliorque patet, spectatque ad ripam sinistram. Trajecto amne, proximè reperiuntur vici *Gross-Aspern*, *Essling* et *Enzersdoff*. Transitus ejus fluminis, in conspectu hostis locorum periti et incolarum amici, annumeratur inter facta militaria post hominum memoriam maxima. Die Maii decimâ nonâ, injecti sunt pontes qui

dextram fluminis cum insulâ priore, eamdemque cum majore jungebant. Agmina ducis *Molitor*, die decimâ octavâ, cymbis invecta fuerant in insulam majorem. Die autem vicesimâ primâ, horâ quartâ post meridiem, hostes contra nos incesserunt eâ mente ut prima agmina nostra deturbarent, eaque in flumen detruderent. Sed nostri sese maximâ virtute tuiti sunt. Marescallus *Lannes* protexit Essling et marescallus *Bessieres* Enzersdoff. Intereà Austriaci ducenta tormenta et ferè nonaginta millia armatorum explicavêre. Sed horâ octavâ post meridiem prœlium cessavit, victoresque stetimus in campo. Per noctem copiæ ducis *Oudinot*, aciesque ducis *Saint-Hilaire* cum turmis leviter armatis et re tormentariâ pontes Istro impositos trajecêre.

PUGNA AD ESSLING,

Die vigesimâ secundâ Maii 1809.

PRIMO mane, circa horam quartam, Germani, iterato impetu, copias nostras adorsi sunt ut vicum Essling recuperarent; et marescallus *Massena* moræ impatiens, in hostem incurrere statuit. Hinc marescallus *Lannes* post varios motus egregiâ virtute ac diligentiâ peractos, invasit Germanos, eosque deturbavit. Jamque actum erat de exercitu austriaco, quùm supervenit centurio qui nunciavit NEAPOLIONI Istrum repentè auctum, fluctibusque volventem arbores et scaphas, pontes nostros fregisse et secum abstulisse. Ideò res tor-

mentaria cum magnâ parte equitatûs in dextrâ fluminis retinebatur.

Hâc auditâ clade, Neapolio copias sistere jussit, pugnæque campum occupandum et protegendum dedit marescallo *Lannes* cujus ala dextra saltui marescallum *Massena* tuenti innitebatur, sinistra autem vico Essling. Jamque hostes profligati terga vertebant, quùm ipsi cognoverunt pontes nostros aquis solutos esse : nec illis quidquam dubii remansit de hoc eventu sibi opportuno, quùm jam minui tormentorum nostrorum violentiam, copiasque nostras in unum coire cernerent. Itaque tormenta jam abeuntia in conspectum reduxêre et, ab horâ nonâ usque ad vesperam, omni ope atque operâ enixi sunt, ut exercitum nostrum contererent. Sed quùm nox supervenisset, fracti resistentiâ nostrâ, in priorem stationem reversi sunt.

Ingens fuit eorum jactura, quippè cecidêre hominum duodecim millia et ampliùs. Tres quoque et viginti duces et sexaginta centuriones cæsi aut saucii fuêre. Præthereà venit in potestatem nostram marescallus legatus Webert cum mille et quingentis militibus et quatuor signis. È nostris mille et centum desiderati, et tria millia vulnerati. Is verò dolori nostro cumulus accessit, quòd marescallo *Lannes* dextrum femur globo ablatum fuerit. Primo aspectu eum vixisse crediderunt; sed deindè satis compos animi, in sellâ ad Imperatorem devectus est. Congressus ille desiderio et miseratione plenus fuit. Inter infausti certaminis sollicitudines, NEAPOLIO sese totum dedit amicitiæ quâ per tot annos fidum illum commilitonem complectebatur; lacrimisque effusis, ad circumstantes conversus, ait:

« Hoc me acerbo casu confici oportuit, » ut exercitûs mei curam vel paulisper » omitterem ». Hîc marescallus *Lannes* expiranti similis inter suos defecit; dein, conspecto NEAPOLIONE, ad se reversus, Imperatoremque suum amplexus, dixisse constat: « Jam jam à te auferetur » qui tui servantissimus, tuæque amici- » tiæ conscius moritur ». Nec ille diù medelæ superstes fuit, sed paulò post extinctus est, dolensque NEAPOLIO amisit virum qui, tot acceptis vulneribus clarus, totiesque irritâ morte spectandus ad Imperii gloriam plurimùm profecerat.

Posteà, defuncti corpus in patriam deferri, eique justa, cum eximiis honoribus, ab omni Galliâ persolvi, decrevit.

Mox, Danubio magis ac magis exundante, pontes eâ nocte non potuerunt

refici. Ideò, die posterâ, NEAPOLIO copias retrocedere jussit, et, trajecto flumine, sese contulit ad ripam sinistram, servatâ et præsidiis protectâ, utrâque pontis fronte.



PUGNA AD WAGRAM,

Die sextâ mensis Julii 1809.

Nec multò post operam dedimus in reficiendis operibus aquarum impetu subversis, Isterque nequicquàm indignatus jugum recepit. Dux *Bertrand* flumen tribus pontibus junxit, quorum maximus, sexaginta arcubus constans, tria vehicula, æquatâ fronte, capiebat. Omnes vici qui trans flumen erant, tot propugnaculis muniebantur, ut nemini mens esset Neapolionem ea adoriri velle. Ille, varia inter consilia dubius, primâ die mensis Julii stationes transtulit in insulam Loban, diebusque sequentibus aggressus est urbem Inzersdoff quam post atrocem pugnam occupavit. Hinc hostis conterritus aciem

aliter instruxit, et in utroque exercitu omnes ad ultimum discrimen parati et intenti stetêre.

NEAPOLIO totam noctem insumpsit in conglobandis viribus ad frontem, ideòque marescallus *Massena* accessit ad lævam Aderklau, relicto uno duntaxat agmine ad vicum Aspern. Sed marescallus princeps *Davoust* jussus est consistere in fronte, ut alas exercitûs nostri firmaret longiùsque extenderet. Dein ipse, à dextrâ, ad mediam aciem progressus est, quùm intereà dux *Bellegarde* Stadelam peteret. Quùm verò copiæ quibus hinc *Rosemberg*, illinc marescallus princeps *Davoust* præerant, adversùm incessissent, oriente luce, sic prœlii signum dedêre. Confestìm eò sese contulit Imperator noster, admotisque duodecim tormentis, aggressus est laterâ ducis *Rosemberg* cujus agmen, intra breve temporis

punctum, cum multâ strage fusum est à marescallo principe *Davoust*, et ultra Neusiedel repulsum. Intereà ænea undequaquè fulminare, hostes ordines suos explicare, eorumque ala sinistra multis tormentis confirmari. Dixisses ducem austriacum minùs ad victoriam quàm ad percipiendum è victoriâ fructum decertare. Hoc consilium non latuit NEAPOLIONEM qui hunc motum adeò ineptum existimabat, ut insidias suspicatus, aliquandiù distulerit facilem modum undè illas conversiones hosti non tantùm irritas, sed etiam funestas efficeret. Ad ultimùm marescallo *Massena* præcepit ut oppugnaret vicum ab hoste occupatum, undè frons nostra urgebatur, simulque imperavit marescallo principi *Davoust* ut progrederetur ad Wagram, dùm dux *Macdonald*, conjunctus duci *Marmont*, equitibus opem præstaret.

Inter hæc, NEAPOLIO audiit ab hoste ferociter oppugnari vicum quem occupaverat marescallus *Massena*, simul deturbatam esse alam sinistram, tormentisque undiquè detonantibus, spatium quod inter *Gross-Aspern* et *Wagram* interjacebat, machinis bellicis refertum esse. NEAPOLIO, hoc errore comperto, fructum indè capere festinavit, jussitquè duci *Macdonald* ut irrumperet in hostem cum agminibus *Brussiers* et *Lamarque*, dùm sustineretur à prætorianis equitibus, additis sexaginta prætorianorùm tormentis et quadraginta è diversis agminibus. Dux *Lauriston*, qui his centum tormentis præerat, citato gradu, in Germanos invectus est, nulloque globo emisso citra tormenti jactum, ante hostem constitit. Hìc ita à nobis fulminatum est ut hostium ignis prorsùs siluerit, ingenti strage editâ. Protinùsque dux *Macdonald*, tympanis

prœlium jubentibus, strenuè invehitur in hostem cum magnâ parte prætorianorum, quorum agmen frontem suam mutaverat, ut certior fieret hostium ruina. Itaque, puncto temporis, Germani retroferuntur per unius leucæ spatium. Tunc lævum cornu, periculo in quo versabatur conterritum, celeriter retrocessit. Hinc marescallus *Massena* in illud impetum fecit, dùm frontis clades, metum et trepidationem per ordines inferret, irritosque faceret motus alæ sinistræ in quam marescallus princeps *Davoust* incurrens, perrêxit ad Wagram. Horâ decimâ, quisque, vel imperitissimus belli, jam nobis cessisse victoriam arbitrabatur. Ad meridiem dux *Oudinot* tetendit ad Wagram, ut auxiliaretur marescallo *Davoust* cui res optimè cesserat. Continuò hostes terga verterunt, et priusquàm nox fieret, ex oculis evanuêre.

Hæc fuit pugna ad Wagram, res maximi momenti et in omne ævum memoranda, in quâ quadringenta millia hominum, cum mille et quingentis tormentis, inter se dimicavêre in campo à Germanis per plures menses munito, spectato, et ritè explorato! Decem signa, quadraginta tormenta, duo et viginti captivorum millia, inter quos quadraginta centuriones, plurimi duces et tribuni, hoc certamine parta fuêre. Campi undiquè cadaveribus strati, inter quæ nonnulli præfecti noscitabantur: sed hæc fuit præcipua hujus victoriæ laus, quod nempè ad sexaginta millia imminutus fuerit hostium numerus, cùm ante pugnam ducentis ferè millibus hominum constaret. Sed nostrorum quoque non levis jactura fuit, etenim circiter mille et quingenti militum cecidêre, et quatuor millia saucii fuêre. Illud verò notandum fuit in eo certamine, quòd

utriusque exercitûs agmina, paucis duntaxat leucis à Vindobonâ dimicarent, undè immensa civium multitudo collium juga, templorum turres tectaque ædium conscenderat, cruenti discriminis aleam contemplatura.



PAX AD SCHŒNBRUNN,

Die decimâ quartâ Octobris 1809.

TANDEM instrumentum pacis scriptum est Schœnbrunn, non sine magnâ omnium lætitiâ quam brevi exceptura erat nova et insperata rerum series, juncto inter Austriæ et Galliæ Imperatores alto sanguine, ad æternam utriusque gentis concordiam.

NEAPOLIO LUTETIAM REVERTITUR

Die vicesimâ sextâ Octobris 1809.

NEAPOLIONI in urbem reduci omnes Imperii ordines gratulari festinaverunt, quos inter Concilium Legislativum, oratore D. *Fontanes* ejus præside. Cui Imperator et Rex :

« Hos sensus pergratos habeo. Sat » mihi comperta est fides ordinis vestri. » Temperata, sed potens, monarchia » convenit Galliæ; eaque, me impe- » rante, cæteris regionibus, armis non » solùm, sed etiam prosperitate mer- » caturæ, legum sapientiâ, bonarum » artium ac litterarum splendore, an- » tecellere debet. Quam ut ad præsen-

» tem statum promoverem, multa mihi
» fuerunt superanda. Ego quidem, si-
» mulque mei, studia nostra, vel cha-
» rissima, utilitati et commodo maximæ
» gentis, constanter postponemus. Dei
» ope atque amore populorum adjutus,
» omnia quæ consiliorum meorum ma-
» jestati obstare possent, superabo. Hoc
» enim in votis est ut *vitæ meæ super-*
» *addantur anni triginta ut queam*
» *subditis meis prodesse*, vastum hoc
» Imperium corroborare et ea demùm
» aspicere quæ animo meo concepi ad
» felicitatem et decus hujusce Galliæ
» mihi charissimæ ».



EPILOGUS.

Hæc quùm juventuti nostræ scriberem, invictus NEAPOLIO, legibus et annonâ populo datis, et institutâ bonarum artium Universitate, absolvebat Luparam; omnisque Gallia æternis monumentis exornata, ob natum ROMÆ REGEM, gaudium et lætitiam agitabat.

FINIS.

TITRES ET DIGNITÉS
DES GÉNÉRAUX
Nommés dans cet Ouvrage.

S. M. (Murat) le roi des Deux-Siciles, grand amiral.

S. A. R. (Bernadotte) le prince héréditaire de Suède.

S. A. S. (Berthier) vice-connétable, prince de Neuchâtel et de Wagram, maréchal de l'empire.

S. E. (Davoust) prince d'Eckmülh, duc d'Auerstaëdt, maréchal de l'empire.

— — (Savari) duc de Rovigo, ministre de la police générale.

— — (Massena) prince d'Essling et de Rivoli, maréchal de l'empire.

— — (Augereau) duc de Castiglione, maréchal de l'empire.

— — (Kellermann) duc de Valmy, maréchal de l'empire.

— — (Duroc) duc de Frioul, maréchal de l'empire.

— — (Junot) duc d'Abrantès.

S. E. (Marmont) duc de Raguse, maréchal de l'empire.

—— (Lefèvre) duc de Dantzick, maréchal de l'empire.

—— (Mortier) duc de Trévise, maréchal de l'empire.

—— (Magdonald) duc de Tarente, maréchal de l'empire.

—— (Oudinot) duc de Reggio, maréchal de l'empire.

—— (Ney) duc d'Elchingen, maréchal de l'empire.

—— (Soult) duc de Dalmatie, maréchal de l'empire.

—— (Victor) duc de Bellune, maréchal de l'empire.

—— (Bessières) duc d'Istrie, maréchal de l'empire.

—— (Lannes) duc de Montebello, maréchal de l'empire.

TABLE.

Fin de la Table.